



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Lo 40.287

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SORNOLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)



⊙

Severinus Hammer

2434

**Contumeliae, quae in Ciceronis in-
vectivis et epistulis occurrunt, quate-
nus Plautinum redoleant sermonem**


CRACOVIAE.

SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS.

APUD BIBLIOPOLAM SOCIETATIS LIBRARIAE

1905.

L e 40.287



Constantius Lund

Seorsum impressum e Tomo XLI Dissertationum philologicae Classis
Academiae Litterarum Cracoviensis.

Cracoviae. — Typis Universitatis Jagellonicae, providore J. Filipowski.

484

Contumeliae, quae in Ciceronis invectivis et epistulis occurrunt, quatenus Plautinum redeant sermonem.

Scriptit

Severinus Hammer.

Ciceronis invectivas qui accuratius perlegerit, facile concedet oratorem haud raro extra moderationis et continentiae cancellos egredi et potius omnia temptare, ut quacumque ratione adversarium suum voce obturbet et defigat, quam ut vero et sincero rerum statu cognito et perspecto nonnihil de nimia violentia detrahat et, sicubi alba invenerit, ea ab atris non infuscata esse patiatur.

Iam vero hodie Ciceronem nemo a partium studio liberum fuisse autumabit: nam ut cetera facta praetermittam, quae animum admodum ventosum sibi inconstantem arguunt, ipsum illud pervulgatum odium Vatinianum non sane intimis accusatoris medullis conceptum esse vel ex eo coniecturam facias, quod post severas illas invectivas vix duorum annorum spatio interiecto ipse defensoris partes susceperit.

Si igitur eius momenti rationem habebimus Ciceronem quoque nonnunquam tragoedias agere in nugis, vel certe vitia, quae adversariis exprobrat, supra modum exaggerare et indignationi suae laxiores permittere habenas, tum quoque omnes calumnias omniaque convicia et maledicta, quibus obruit inimicos suos, maximam partem tantummodo βλασφημίας esse intellegemus, quae videlicet rhetorico eius apparatus non ingrata additamenta erant.

Nunc id agitur, unde Cicero suas contumelias hauserit. Hanc quidem quaestionem solvere non est difficile, si compertum habes omnes maledictiones a sermone vulgari suam originem trahere.

Itaque verisimillimum est Ciceronem quoque ad hunc uberrimum fontem confugisse eiusque viva et iugi aqua suos rhetoricos tumores irrigasse et quodammodo refrigerasse. Neque omnino mirandum est oratorem familiaritatis quodam vinculo cum poëtis et scriptoribus coniunctum esse, quorum opera sermonis vulgaris et cottidiani effigiem prae se ferunt. Ipse enim in epistulis propius ad eum accessit eiusque simplicitatem feliciter imitatus est.

Comoediam vero sermonis vulgaris divitias luculentissime prodere satis est notum superque. Unde in hac disputatiuncula opprobria Ciceroniana cum Plautinis comparare mihi proposui — attamen statim hoc loco admoneo me etiam alia poësis genera „per humum repentia“ — quae haud raro maledictis abundant — non prorsus neglexisse, sed praecipue Lucilium et Catullum, tum passim Horatium, Martialem, alios adscivisse, quo imago plenior et clarior fieret. Praeterea Aeschinem et Demosthenem inspiciendos esse censi, qui conviciis haudquaquam abstinerunt iisque contra sese invicem vel contra adversarios suos usi sunt¹⁾. Oratoribus Graecis praecipue antiquam Atticorum comoediam contumeliarum copiam suppeditasse haud inepte contendas. Itaque quibusdam locis etiam ex Aristophane aliisque comicis exempla deprompta attuli.

Ut quidem rationem, quae inter Ciceronem et Romanorum comicos scriptores intercesserit, recte aestimemus, adnotandum est oratorem prae omnibus poësis generibus summam oblectationem e comoedia cepisse. Nam ex epicis poëtis tantummodo Homerum et Ennium satis cognitos habuit; lyricis autem carminibus minime eum studuisse iam per se patet, si rationem habemus eius animi sicci, rhetorices vinculis constricti et propterea obdurati. Satis erit admonere Ciceronem Catulli, ingeniosissimi Romanorum vatis sui aequalis, qui in disertissimum Romuli nepotum lepidum nec, credo, insulsum carmen confecit, ne uno quidem loco mentionem fecisse. — Ex tragicis Graecis Euripidem²⁾, illum philosophum magis et rhetorem

¹⁾ Ivo Bruns: Das literarische Porträt der Griechen im V u. VI Jahrhundert vor Christi Geburt, p. 534 sqq. et p. 552 sqq. demonstravit a Demosthene novum morem in invectivis introductum et maxime excultum esse, nempe res adversarii privatas notandi eumque maledictis congerendis omni defensionis ratione privandi (cf. orationes in Stephanum, Cononem, Aeschinem habitas). Idem illum Ciceronem factitasse initio huius disputationis commemoravi.

²⁾ Cf. ex. c. epist. ad fam. XIII, 15, 2: Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad vera praecepta Εὐριπίδου.

quam entheum poëtam, scilicet propter ingenii similitudinem diligentius quam Sophoclem et Aeschylum lectitasse videtur ¹⁾).

Restat, ut de Tullii studiis, quae in comoediam contulit, pauca dicam. Et profecto non valde quis a veritatis via declinet, si Ciceronis de vetere, quam dicunt, Graecorum comoedia iudiciis accuratius perpensis oratorem praeter Aristophanem et Epicharmum fere cum nullo alio poëta arctiorem familiaritatem contraxisse putet. Quin etiam in Aristophanis comoediis non tam magnum studium collocabat et licet eum leg. 2, 37 facetissimum veteris comoediae poëtam appellaverit, attamen simplici eiusdem et aspero dicendi genere manifesto nonnunquam offendebatur et solum ex eorum, quos secutus est, auctoritate Aristophani antiquae comoediae palmam dedisse videtur. Longe aliud et quidem maiori studio innixum de recenti, quam vocant, comoedia Cicero iudicium tulit. Quam haud dubie magis de fabulis Latinis ex Graecis conversis, quam ex ipso fonte novit, etsi pro certo paene affirmare possumus saltem Menandri, de quo loqui semper multum gaudet ²⁾, notitiam assidua lectione eum assecutum esse. Propterea nemo mirabitur, quod Cicero Terentium, illum „dimidiatum Menandrum“ fortasse propter sermonis suavitatem et subtilem morum notationem ³⁾ ita adamavit, ut eum etiam aliquot versibus a se ipso elucubratis honestaverit; haec enim in notissimo illo Ciceronis in Terentium carmine legimus:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
 Conversum expressumque Latina voce Menandrum
 In medium nobis sedatis vocibus ecfers
 Quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens.

Multo pauciores loci Caecilii admirationem testantur ideo, quod eum malum Latinitatis auctorem ⁴⁾ putabat, quamquam altera ex parte non dubitat eum summum comicum appellare, cf. opt. gen.

¹⁾ Cf. de ea re I. van Heusde: Cicero φιλοπλάτων pag. 30 et E. Lange; Quid cum de ingenio et litteris tum de poëtis Graecorum Cicero senserit (Halis Sax. 1880), p. 55 sqq.

²⁾ Cf. opt. gen. 6; 18, fin. 1, 4; ibid. 1, 7.

³⁾ Cf. Varro Sat. Menipp. nr. 399 Buech: Terentius in ethesi poscit palmam. Ad hanc opinionem firmandam relege ad Cic. de orat. 2, 326, ubi Terentii Andria et ad Caton. 65, ubi eiusdem poëtae Adelphi summopere laudantur. Cf. praeterea Att. VII, 3, 10.

⁴⁾ Att. VII, 3, 10.

§ 2: Licet dicere et Ennium summum epicum poëtam, si cui ita videtur et Pacuvium tragicum et Caecilium fortasse comicum.

Quaeritur denique, quid de Plauto Cicero senserit. Quod de hoc Romanorum scenae sine dubio perfectissimo auctore vix tribus quattuorve locis aliquantulum dicat, est profecto quod miremur. Plautus scilicet saepe tam libere fabulas Graecas vertisse videtur, ut colore et habitu fabulae Graecae attenuato sui ingenii vestigia magis imprimeret. Praeterea Plautus iis ipsis virtutibus, quas in Terentio Cicero admirabatur, caruit. In illo igitur potissimum antiquitatem et priscam vim sermonis gravitatemque magni aestimavit¹⁾, tum indolem quandam nativam, quae in conviciorum usu et iocandi genere — non illo quidem semper urbano et faceto²⁾, sed naturali quodam lepore insigni — apud hunc lascivum Thaliae alumnum elucet. Ex iis locis, quibus de Plauto agitur, unus quasi ad rem propositam pertinet. Dicit enim Cicero off. 1, 104: Duplex omnino est iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt.

Equidem idcirco hunc locum nullo modo silentio praetereundum esse putavi, puod mihi Cicero non sine aliqua causa hanc sententiam pronuntiasse videtur. Nemo est enim, quin intellegat, Cicero-nem hic haud recte iudicasse; nam vix dici potest Plautum veteresque Atticorum comicos priore illo, quod statuit, genere iocandi abstinuisse. Sed orator — nisi me omnia fallunt — cum apud Terentium inopiam verborum, quibus inimicos suos inveheretur, videret³⁾ ideoque Plautum sibi adeundum esse putaret, ex consulto a veritate deflexit, ut ementita comoediae auctoritate convicia sua non solum excusare sed etiam in iis adhibendis urbanitatem⁴⁾ sibi tribuere posset. Longe vero absum, ut hanc sententiam etiam atque etiam premam, sed fortasse alius quoque locus illum supra citatum aliqua ex parte explicabit. Nam in oratione pro M. Caelio hoc loco (3, 6),

¹⁾ de orat. 3, 44: Plauti oratio antiquitatem redolens.

²⁾ off. 1, 104: Plautus urbanus et facetus.

³⁾ Notum est Terentium, exceptis aliquot vulgaribus maledictis, quae plerumque substantiva in — o exeuntia efficiunt ex. gr. nebulo, verbero, omnino praeparum esse in contumeliis adhibendis.

⁴⁾ Cf. epist. ad fam. VII, 32, 2: Urbanitatis possessionem, amabo, quibusvis interdictis defendamus; in qua te unum metuo, contemno ceteros.

ubi istum oratorem, a L. Sempronio Atratino de vi accusatum, impudicitiae crimine expedire conatur et remisso supercilio in eiusdem iuvenili intemperantia conivere videtur, ita pergit: sunt enim ista maledicta pervolgata in omnis, quorum in adulescentia forma et species fuit liberalis; sed aliud est male dicere, aliud accusare¹⁾: accusatio crimen desiderat, rem ut definiat [hominem ut notet] argumento probet, teste confirmet; maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam: quae si petulantius iactatur convitium, si facetius urbanitas nominatur. — Itaque hic etiam illa distinctione utitur et alterum cavillationum genus quamvis non aperte, attamen satis evidenter probat. Non sane admodum hoc altero genere Ciceronem notabilem esse, ex iis, quae sequentur, intellegemus.

Atque haec quidem hactenus. Nunc ad rem ipsam accedo. Sed antehac in universum dicendum est Ciceronem in hac quoque re, praecipue in orationibus rhetorem tantummodo perraro dissimulare potuisse. Plerumque enim non satis habet unum vel aliquot maledicta iuxtim componere, sed ea cum adiectivis maximam partem in superlativo gradu positis coniungit et omnino fere semper acri veneno adversarium laedit et perfundit. Tum etiam figuris rhetoricis: exclamationibus, interrogationibus, similibus, praecipue tamen abstractis (scilicet his omnibus in malam partem adhibitibus) eius invectivae scatent. In epistulis re vera magis est elegans et facetus, saepius verborum lusui studet et, quemadmodum comici facere solent, nova iocosaque vocabula fingit.

Quoniam abstracta primum quasi locum in contumeliis a Cicerone usurpatis obtinent, optimo iure ab iis initium capiam, Satis constat linguam Latinam verbis abstractis imprimis esse

¹⁾ temperare mihi non possum, quin similem Demosthenis (de cor. 123) sententiam afferam: ἐγὼ λοιδορίαν κατηγορίας τούτῳ διαφέρειν ἠγοῦμαι, τῷ τὴν κατηγορίαν ἀδικήματ' ἔχειν, ὧν ἐν τοῖς νόμοις εἰσὶν αἱ τιμωρίαι, τὴν δὲ λοιδορίαν βλασφημίας, ἧς κατὰ τὴν αὐτῶν φύσιν τοῖς ἐχθροῖς περὶ ἀλλήλων συμβαίνει λέγειν. Postea dicit orator iudicia non eo consilio esse a maioribus instituta, ut adversarii sese invicem maledictis obruerent — ἀλλ' ἵνα ἐξελέγχωμεν, ἐάν τις ἠδικηκῶς τι τυγχάνει τὴν πόλιν. Haec verba ad Aeschinem pertinent, qui λοιδορίαν καὶ προπηλακισμόν secundum Dem. de cor. 12 criminibus praemittebat, aliter atque ipse (Cf. de cor. 11), qui se non esse φιλοδοξον affirmat (de cor. 126). Haec asseveratio non impedit tamen Aeschinem, quominus talia suo adversario obiceret de fals. leg. 8 extr.: διατετέλεκε γὰρ εἰς ἡμᾶς ὕβριζων καὶ λοιδορίας ψευδῆς οὐκ ἐμοὶ μόνον λοιδορούμενος, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις. Nos sine ira et studio Aeschini in hac quidem re adstipulari possumus; conferatur Midiana et Ivo Bruns l. l. pag. 571 sq.

locupletem. Itaque nihil mirum, si in sermone vulgari — praecipue autem apud Plautum — abstracta pro concretis adhibita¹⁾ et blanditiarum et maledictorum vicem vel maxime explent.

Illud prius προσφωνήσεων genus, cuius tantae sunt partes apud, comicos²⁾ et lyricos³⁾ Romanorum scriptores, etiam apud Ciceronem saepius occurrit. Severo quidem oratori, qui nunquam ullius puellae amore deperibat, sermone amatorio opus non erat⁴⁾. Nempe cum aliquando importune accidisset, ut ille ipse, qui iure meritoque de se asseverare posset: „me vero nihil istorum ne iuvenem quidem movit unquam“, cum eadem Cytheri in convivio accumberet, quae sub Lycoridis mutato nomine ut primi Romanorum elegiaci amasia in memoria omnium saeculorum haeret — in epistula ad Paetum data (9, 26) confusus iocis et dicteriis sese excusare studet et e vestigio Aristippi Socratici exemplum praetendit, qui, cum esset obiectum habere eum Laida, „habeo“, inquit, „non habeo“. Et tamen etiam Cicero ruminatur talia dicta iisque compellat suam Terentiam, suam Tulliolam, suum filiolum aut suos amicos⁵⁾. Cf. mea lux epist. ad fam. 14, 2, 2. — Tullia lux nostra ibid. 14, 5, 1; cf. Plaut. Capt. 864. Catull. 68, 132, 160. Prop. II, 14, 29; 28, 59; 29, 1. Ov. am. I, 4, 25; II 17, 23 trist. III 3, 52.

meum desiderium epist. ad fam. 14, 2, 2 — mea desideria ibid. 14, 2, 4. — Cf. Catull. 2, 5. Hor. c. I 14, 18.

mea vita epist. ad fam. 14, 2, 3; 14, 4, 1 — ibid. 10, 12, 5; 11, 5, 3: rei publicae causa, quae mihi vita mea est carior. — ibid. 14, 7, 1: Tulliolam, quae nobis nostra vita dulcior est. — cf. Plaut.

¹⁾ De abstractis, ut: apparitio, censio, cognitio, quae contemptim personis his muneribus fungentibus adduntur, cf. R. Fisch, Archiv. V (1888) p. 61, 65, 66 — tum Woelfflin, Archiv. V, p. 492.

²⁾ Cf. V. Hoelzer: De poesi amatoria a comicis Atticis exulta ab elegiacis imitatione expressa. Marburgi Catt. 1899.

³⁾ Cf. René Pichon: De sermone amatorio apud Latinos elegiarum scriptores. Paris. 1902.

⁴⁾ Haud ignarus tamen erat Cicero harum virtutum, quibus lepidae puellae excellent. Cf. Att. 9, 10, 2: sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienant immundae, insulae, indecorae; cf. Catull. 10, 6: scortillum non sane inlepidum, neque invenustum; v. 33: sed tu insulsa...

⁵⁾ quamquam haec, quae sequuntur, a quaestione proposita abhorreere videntur — tamen, ne de ea re in appendice tractarem, prima occasione oblata hoc loco omnia proferre constitui.

Cas. 135, Stich. 583. Catull. 45, 13; 65, 10; 68°, 155; 104, 1; 109, 1. Prop. II 3, 23; II 20, 11; II 26, 1. Ov. am. II 15 21.

animae meae epist. ad fam. 14, 8, 1 — vos meae carissimae animae ibid. 14, 14, 2 — Terentiae et Tulliae, duabas animis suis (tit.) ibid. 14, 4; cf. anime mi Plaut. Asin. 664, Most. 336.

Tulliola deliciae nostrae Att. 1, 5, 8 — Tulliola deliciolae nostrae Att. 1, 8, 3.

Piliae salutem dicas et Atticae deliciis atque amoribus meis Att. 16, 6, 4 — Pompeius nostri amores Att. 2, 19, 2.

Rufum mel ac delicias tuas epist. ad fam. 8, 8, 1.

Cf. Plaut. Most. 15, Pers. 203, Trucul. 921. Catull. 2, 1; 3, 4; 6, 1; 32, 2 (deliciae).

Plaut. Bacch. 115, Curc. 357, Poen. 207. Catull. 6, 16; 10, 1; 15, 1; 21, 4; 38, 6; 40, 7; 45, 1 (amores).

Plaut. Bacch. 18, Most. 325 (mel), Cas. 135 (mea mellilla) — spes reliqua nostra Cic. epist. ad fam. 14, 4, 6; cf. Plaut. Bacch. 17. Ov. Her. 19, 144.

Ceterum concedendum est Ciceronem semper, cum de proximis loquatur, apertius et nudius animi sui sensum exprimere. Ita scribit ad Att. 1, 18, 1: „ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore et filiola et mellito Cicerone consumitur“. At iam ex his perspicimus, oratorem in elocutione iustum modum tenere parum didicisse. Adi. „mellitus“ aptissime de oculis Iuveni Catullus¹⁾ ponere potuit — non aequè Cicero. Minus me offendit Att. 16, 6, 2: cur ocellos Italiae, villulas nostras, non video? cf. Catull. 31, 1: Paene insularum, Sirmio, insularumque ocelle. — Plane nobis Catullum vel elegiacos in memoriam revocant talia enuntiata: epist. ad fam. 16, 27, 2: ... tuosque oculos etiamsi te veniens in medio foro videro, dissuaviabor. Cf. Catull. 48, 1—2 mellitos oculos tuos, Juveni, | siquis me sinat usque basiare; id. 9, 9 iucundum os oculosque saviabor — vel epist. ad fam. 14, 4, 1: ... si haec mala fixa sunt, ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre et in tuo complexu emori. Cf. Prop. 1, 10, 5: cum te complexa morientem, Galle, puella.... Ov. rem. 654: perque gradus molles emoriatur amor.

Sed iam vera lenocinia verborum sunt ista superlativa, quibus Cicero prodigetur; cf. epist. ad fam. 14, 4, 6: mea Terentia,

¹⁾ 48, 1; 99, 1, cf. 3, 6; 21, 11.

fidissima atque optima uxor et mea carissima filiola — ibid. 14, 5, 2: mea suavissima et optatissima Terentia — ibid. 16, 7, 8: suavissimae Atticae. Att. 4, 9, 2: Ciceronem suavissimum, cf. epist. ad fam. 14, 5, 1. Att. 5, 9, 3 Cicero... modestissimus, et suavissimus puer. epist. ad fam. 14, 7, 3: Cicero bellissimus. ad Q. fr. 2, 5, 4: mi carissime et suavissime frater, cf. ad Q. fr. 3, 4, 6. ad Q. fr. 2, 14, 2: mi optime et suavissime frater, cf. ibid. 3, 7, 2; 3, 9, 9. ad Q. fr. 3, 6, 4: mi suavissime frater., cf. Att. 1, 15, 1 — ad Q. fr. 3, 8, 6 mi carissime frater. epist. ad fam. 16, 21, 2 mi dulcissime Tiro.

Haec superlativa et alia ὑπερβολικῶς dicta optimam irridendi materiam obtulerunt Catullo, cui orator a teneris, ut ipse dicit (epist. ad fam. 1, 6, 2), unguiculis erat cognitus. In notissimo illo carmine (49) pervenuste Ciceronis dictionem imitatur et illudit. Ut iam silentio praeteream quinque illa superlativa¹⁾ et v. 7 „quanto tu optimus omnium patronus“, quibus verbis sine dubio piam Caecinae (in epist. ad fam. 6, 7, 4) admirationem in risum vertit — animum attendas, quaeso, ad v. 2 et 3: quot sunt quotque fuere, Marce Tulli, quotque post aliis erunt in annis. Haec locutio occurrit etiam in c. 21, 2—3 et 24, 2—3. Nonne Catullus his verbis Ciceronem lacescit? cf. p. red. ad Quir. 16, Lael. 83 et epist. ad fam. 11, 21 1: Di isti Segullio male²⁾ faciant, homini nequissimo omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt.

Hac exsecratione, enumeratis blandis vocibus, maledictorum³⁾ agmen aperimus. Incipio ab abstractis. Inter haec saepius repetuntur: portentum, prodigium, propudium, immanitas:

Ver. I 15, 40 o portentum in ultimas terras exportandum. epist. ad fam. 10, 32, 3 cum huiuscemodi portento res mihi fuit. Pis. 4, 9 a fatali portento prodigioque reipublicae; cf. C. Caesar Caligula O R fr. 4) p. 577 M. illud palaesticum prodigium.

Plerumque vis contumeliae vocabulis portentum, prodigium

¹⁾ Cf. Casimirus Morawski: *Catulliana et Ciceroniana* (Cracov. 1903) p. 5 sqq.

²⁾ Cf. Att. 15, 15, 1 I. Antonio male sit — Catull. 3, 13: at vobis male sit, malae tenebrae. Dem. de cor. 267 κακὸν κακῶς θεοὶ ἀπολέσειαν (cf. de cor. 180, Aristoph. Equitt. 2, Nubb. 554). — In exclamazione: o factum male de Alexione Att. 15, 1, 1; cf. Catull. 3, 16: o factum male! o miselle passer.

³⁾ Cf. Gustav Hoffmann: *Schimpfwörter der Griechen und Römer*, Berol. 1892

⁴⁾ *Oratorum Romanorum fragmenta laudavi secundum H. Meyeri editionem* (Turici 1842).

vel monstrum iuxta positum augetur: Verr. II, 32, 79 quod unquam huiuscemodi monstrum aut prodigium audivimus aut vidimus. Verr. IV, 21, 47 quod hoc monstrum, quod prodigium in provinciam misimus? Catil. 2, 1, 1 a monstro illo atque prodigio. Phil. 13, 21, 49 monstra quaedam ista et portenta sunt reipublicae

Voc. monstrum legimus praeterea: Cael. 5, 12 neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto tam ex contrariis diversisque et inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum (de Catilina) — ad Brut. 2, 2, 3 magnum illud monstrum in republica est.

Immanis¹⁾, immanitas. Pis. 14, 31 immanissimum ac foedissimum monstrum. Att. 5, 16, 2 monstra quaedam non hominis sed ferae nescio cuius immanis. Verr. V, 56, 145 quoddam novum monstrum ex vetere illa immanitate. Verr. III, 26, 64: ... quae immanitas.

Propudium. Phil. 14, 38 crudelissimis exemplis interemit propudium illud et portentum.

Cf. Plaut. Bacch. 579, Curc. 190, Poen. 272 (propudium).

Ter. Eun. 656, 860. Verg. Aen. 5, 849. Hor. c. I, 37, 21, Lact. de mort. persecut. c. 38 (monstrum). Plaut. Poen. 273 monstrum mulieris. Ter. Eun. 696 monstrum hominis. Cic. Att. 8, 9, 4, Aristoph. Vesp. 1036, Pac. 759: τέρας; cf. Aesch. Ctesiph. 111 μήτε γυναῖκας τέκνα τίθειν γονεῦσιν ἰοικότα, ἀλλὰ τέρατα.

His conviciis subiungo ut sensu proximum: omen Phil. 4, 4, 10 et iam ad alia transeo, veluti: pestis²⁾, perniciēs, furia, labes tempestas, calamitas.

Phil. 4, 3, 7 omnia arma... contra illam pestem esse capienda cf. Phil. 5, 6, 18; 10, 4, 9; 10, 11, 23. Verr. I, 38, 96; III, 26, 64 Catil. 1, 12, 30; 2, 1, 2. Vatin. 14, 33. Pis. 1, 3; 24, 56. epist. ad fam. 10, 28, 1 — praeterea Verr. III, 54, 125 huius importunissimae pestis. Catil. 1, 5, 11 quod hanc tam taetram, tam horribilem tamque infestam reipublicae pestem totiens iam effugimus In plurali numero: Phil. 8, 3, 9 omnes Cafones, omnes Saxae ceteraque pestes, quae sequuntur Antonium. Cf. Vatin. 3, 6; 7, 18; 10, 25;

¹⁾ Cf. ad Q. fr. 1, 1, 27: immanibus ac barbaris nationibus.

²⁾ „pestiferi cives“, saepe a Cicerone usitata formula. Cf. Lact. de mort. persecut. c. 8 libido in homine pestifero, c. 27 pestiferum illud agmen.

14, 33. Phil. 10, 11, 23 — Att. 9, 10, 4; epist. ad fam. 5, 8, 2 (quaedam pestes hominum).

In detestationibus: Phil. 6, 5, 12 malam quidem illi pestem. Phil. 13, 21, 48 quin tu abis in malam pestem malumque cruciatum¹⁾? cf. Plaut. Asin. 288, 415: ad malam rem. Epid. 78: abi in malam rem maximam. Asin. 940: i in crucem, 459: abi in malum cruciatum. Bacch. 638, 902, 977: in malam crucem abi. Cas. 611: in maximam malam crucem. Cure. 611: quin tu is in malam crucem. Most. 850 abin hinc in malam crucem? Poen. 347 i dierecte in maximam malam crucem.

Voc. pestis opprobrii loco apud Plautum nusquam inveni, semel apud Terentium (Adelph. 189), saepius apud Catullum: 77,5 eheu nostrae crudele venenum²⁾ vitae, eheu nostrae pestis amicitiae. Cf. etiam Catull. 44, 11 sq. orationem in Antium petitorum, plenam veneni et pestilentiae legi — 76, 20: eripite hanc pestem perniciemque mihi — 69,9: crudelem nasorum interfice pestem.

Pernicies. Verr. I, 1, 3 labem atque perniciem provinciae Siciliae, id. Mil. 84 — cf. M. Valerius Messala Corvinus in O R fr 510 M. propter hanc tabem atque perniciem domus totius. Plauti Asin. 133: perlecebrae (idem Asin. 151; Bacch. 1167; Cist. 321; Men. 377; Truc. 184, 759), perimities adulescentum, exitium. Most. 3 erilis pernicies. Ter. Ad. 188: Leno sum, pernicies communis adulescentium (idem Plaut. Pseud. 364). Catull. 27, 6 lymphae, vini pernicies. Hor. epist. 1, 15, 31: pernicies et tempestas barathrumque macelli; tum cf. φθόρος Aristoph. Equitt. 1152, Thesm. 535; Dem. 13, 24 — δλεθρος Soph. O. R. 1343; Aristoph. Thesm. 860, Eccl. 934, Lysistr. 325; Dem. 9, 31. 18, 127. 23, 202 — λοιμός Dem. 25, 80.

Labes, tempestas, calamitas, furia, scelus.

Verr. I, 13: labem... cf. Vatin. 10, 25; Pis. 1, 3; 24, 56 — praeterea: Verr. I, 13, 40: iam vero quomodo ego illam labem, ignominiam³⁾, calamitatem⁴⁾ totius ordinis conquerar. Verr. I, 38, 96

¹⁾ Cf. Sempr. Gracch. O R fr. p. 246 M. eo exemplo instituto dignus fuit, qui malo (sic!) cruce periret.

²⁾ Cf. Catull. 14, 18, 9 Caesios, Aquinos, Suffenum, omnia colligam venena

³⁾ Cf. Pis. 23, 53: o familiae... paterni generis dedecus — Phil. 11, 14, 36: Antonios... Romani nominis probra atque dedecora. Cf. Att. 16, 7, 4 — Plaut. Mil. 423: viti probrique plena — Catull. 28, 15: opprobria Romuli Romique Aristoph. Acharn. 855: ὄνειδος — Hom. Il. 3, 42: λάβη.

⁴⁾ Cf. Catull. 14, 23: saeculi incommoda, pessimi poetae — βλάβη Soph. El. 301, Philoct. 622. Idem significat: plaga Cic. Att. 2, 1, 10.

per omnes partes provinciae te tamquam aliquam calamitosam tempestatem pestemque pervasisse demonstro. Vatin. 14, 33 sed appellarisne nominatim pestem illius anni, furiam¹⁾ patriae, tempestatem rei publicae. Vatin. 17, 40: taeterrima furia. Pis. 37, 91: Poena et Furia sociorum, cf. Pis. 4, 8. epist. ad fam. 1, 9, 15: illa furia muliebrum religionum; cf. ad Q. fr. 3, 1, 11, Hor. sat. 2, 3, 141 et Plaut. Cas 592, Mercat. 981, 983: larva.

Scelus, cf. Verr. I, 15, 40; Pis. 24, 56; Phil. 11, 5, 10. Cum his cf. Plaut. Pers. 408: labes populi — Trin. 553 hospitium est calamitatis — Amph. 556, Bacch. 1176, Mil. 827, Most. 217, Pers. 290, 666, 743, 793, Pseud. 1302, Rud. 506, 993, 1001, 1007: scelus. Curc. 614, Mil. 1434, Trucul. 621: scelus²⁾ viri. Pers. 192: scelus tu pueri es. Bacch. 829, Curc. 234, Mil. 494, Pseud. 446, 1054: scelerum caput — adde: flagitium hominis Asin. 473, Cas. 551, Men. 489, 709 — stabulum flagitii Trucul. 587 — flagitii flagrantia Rud. 733.

Odium. Hac contumelia vellicat Cicero Vatinium Vatin. 16, 39: si es odium publicum populi, senatus, universorum hominum rusticorum³⁾; etiam Antonium epist. ad fam. 12, 1, 1: ... ut tantummodo odium illud hominis impuri et servitutis dolor depulsus esse videatur — cf. Plaut. Curc. 191: odium me vocas. Poen. 392, Truc. 210, 320: odium meum. Poen. 352: ecce odium meum. Bacch. 820, 822: terrai odium. Rud. 319: deorum odium — μῖσος Soph. Antig. 760, Philoct. 991 — μίσση Soph. El. 289.

Sequuntur convicia, quibus homines infimi et sordidissimi notantur: caenum, lutum⁴⁾, faex, sentina, tenebrae, sordes.

Vatin. 7, 17: tu emersus e caeno, Vatin. 9, 23: intolerandus ex caeno nescioqui atque ex tenebris tyrannus, Pis. 6, 13: caenum, Phil. 5, 6, 16 illam impuritatem caeni fuisse, Pis. 25, 59 ex argilla et luto fictus Epicurus, Pis. 26, 62: o tenebrae, lutum, sordes⁵⁾ — adiectiva: Ver. III, 35 homo luteus, IV, 32: luteum negotium, Pis.

¹⁾ adi. furiosus epist. ad fam. 11, 18, 2; 12, 3, 1. ad Q. fr. 1, 1, 9. ad Brut. 2, 2, 3.

²⁾ Cf. Pseud. 817 teruntur synapsis scelera.

³⁾ Cf. Catull. 14, 3: odissem te odio Vatiniano.

⁴⁾ Cf. A. Otto, Archiv. IV (1887), p. 29.

⁵⁾ Cf. Att. 4, 18, 1 iudicium sordes et adi. Att. 8, 4, 2: reo cuiquam tam humili, tam sordido. Cf. Att. 9, 9, 3; 12, 27, 1; 15, 3, 1. epist. ad fam. 13, 36, 1. ad Q. fr. 1, 1, 11; 1, 2, 6.

1, 1 ista tua lutulenta vitia, Pis. 12, 27 lutulente Caesonine; cf. Plaut. Pseud. 366: caenum, Bacch. 384: ut eum ex lutulento caeno prope hinc eliciat foras, Most. 4059: germana inluyies¹⁾... hara²⁾ suis | caeno κοπρῶν commixta, Pers. 406sq.: lutum lenonium | commixtum caeno sterculinum³⁾ publicum, Poen. 826: neque tam luteus, neque tam caeno collitus, Most. 1167, Pers. 406: lutum, Capt. 326: scio multos iam lucrum lutulentos homines reddiderit, Mil. 325: quia ludo luto, Poen. 157 sq.: sed lenone istoc... | non lutumst lutulentius, Trucul. 854: blitea et luteast meretrix, Catull. 42, 13: o lutum, lupanar⁴⁾. His adde: Novatiani de cibis Iudaicis ed. G. Landgraf et C. Weyman in: Archiv. XI (1898) p. 233, 1: reprehendit utique caenosam et luteam et gaudentem vitiorum sordibus vitam — tum Aristoph. Equitt. 899: ἀνὴρ κόπρειος⁵⁾, Eccl. 317: κοπρεῖος, Vesp. 1184: ἀνὴρ κοπρολόγος, Equitt. 307: ὃ βορβοροτάραξι. Eodem sensu usurpatur adi. βδελυρός Aristoph. Ach. 289, Equitt. 193, 303, Nubb. 446, Ran. 465, Aeschin. Tim. 47, Dem. 8, 27 cet., βδελυρώτατος Dem. 19, 225; 230. Cf. Cic. Verr. 1, 94: homo avarissime et spurcissime, Lucil.⁶⁾ 137: spurcus homo, Hor. sat. II, 5, 18: spurcus.

Faec, sentina, quisquiliae. Verr. I, 39, 99: ex ea faece legationis, epist. ad fam. 7, 32, 2 quoniam tanta faex est in urbe, Att. 1, 16, 11 apud sordem urbis et faecem, Att. 2, 1, 8: in Romuli faece, ad Q. fr. 2, 4, 5 nam apud perditissimam illam atque infimam faecem populi; cf. Plaut. Trin. 297: faecei mores, Aristoph. Nubb. 296: τραγοδαίμονες et Vesp. 1309: (ἔοικας) νεοπλούτῳ τραγί.

Cic. Catil. 1, 5, 12: exhaurietur ex urbe magna et pernicioosa sentina rei publicae, Catil. 2, 4, 7: o fortunatam rem publicam, si quidem hanc sentinam urbis eiecerit, Att. 1, 19, 4: ... et sentinam urbis exhauriri, Att. 1, 16, 6: Talnam et Plautum et Spongiam et ceteras huiusmodi quisquillas — idem. Sest. 94, — cf. κάθαγμα Aristoph.

¹⁾ Cf. Cic. dom. 53 eluyies — Att. 9, 10, 7 colluyies.

²⁾ Cf. Pis. 16, 37 Epicure noster ex hara producte non ex schola.

³⁾ Cf. Cas. 114 ex sterculino effosse — Mil. 89 stercoreus — Cic. de orat. 3, 164: stercus.

⁴⁾ Cf. Ter. Phorm. 373 sin tandem carcer? Similiter Lucilius ex inc. lib. 1155 (L., 141 M.): carcer, vix carcere dignus. Naevius ap. Paul. 29 e voc. lustrum creavit subst. lustrum. Ad voc. lupanar cf. M. Niedermann, Archiv. XI (1898) p. 271.

⁵⁾ Similiter Cyprianus contumeliose Coprianus appellabatur.

⁶⁾ Spurcos ore Lucil. 11, 363.

Plut. 454, Eupol. 117, Aeschin. Ctes. 211, Dem. 18, 128. 21, 185. 198 et purgamentum Petron. sat. 74.

Opprobria, quibus immensa quaedam et inexhausta cupiditas et avaritia vel libido — nec non voracitas — perstringitur, sunt: gurgēs, vorago.

Verr. III, 9, 23: qui, ut ipsa non solum vita, sed etiam corpore atque ore significat, immensa aliqua vorago est aut gurgēs vitiorum turpitudinumque omnium. Phil. 11, 5, 10: primum Lucium fratrem: quam facem, di immortales: quod facinus! quod scelus! quem gurgitem! quam voraginem! Pis. 17, 41: nam ille gurgēs atque helluo, natus abdomini¹⁾ suo. Pis. 18, 41: vos geminae voragines scopulique²⁾ rei publicae. Similiter Pis. 4, 9 nominat eum Cicero bustum rei publicae³⁾ — neque aliter dictum est templum Castoris, quod Piso reddidit: castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum (Pis. 5, 11). Scilicet prorsus alio sensu usurpat Plautus vetus bustum de sense decrepito, cui voc. respondet: ὦ τύμβε Aristoph. Lys. 372, ἐμψυχε τύμβε Michaelis Pselli (in: Ein Schmahgedicht des Mich. Psellos ed. Leo Sternbach Stud. Vindob. XXV, 1903 p. 17 v. 122); cf. Lucian. Mort. Diall. 6, 2: ἐμψυχόν τινα τάφον. Ar. apud Kock. III, p. 600 fr. 1672: τυμβογέρων. Aristoph. Vesp. 1370: ὥσπερ ἀπὸ θύμβου πεσόν. Aristoph. Vesp. 1365: σορός. Aristoph. fr. 198 K. σορέλλη — σορόπληκτος, σοροπλήξ in Milleri: Mélanges... p. 423 — capuli decus Plant. Asin. 892 — silicernium Ter. Ad. 587.

Sed frustra quaesivi apud Plautum locutiones, quae supra ex Cicerone allatis locis responderent⁴⁾. Itaque tantum ad similia relego. Ex. c. Plautus in Curc. v. 123 gulam vinolentae vetulae nominat barathrum⁵⁾, sq. v. cloacam⁶⁾. Praecipue tamen Lucilius homines

¹⁾ Cf. Ter. Eun. 460 abdomini hunc natum dicas. Cic. Sest. 110 inesturabile abdomen — Pis. 17, 66 solet oculorum et aurium delectationi abdominis voluptates anteferre.

²⁾ Cf. Ambros. expos. in Luc. VIII 16 p. 443, 17 Sch. scopulis duriores peremptores.

³⁾ Cf. Prop. 1, 1, 27: quoties civilia busta Philippos canerem.

⁴⁾ Cf. Lucil. 30, 1002: o Publi, o gurgēs.

⁵⁾ Cf. Hor. ep. I, 15, 31: barathrumque macelli. In Plauti Men. 988 domus meretricis vocatur saltus damni. Bacch. 368 ianua Orci. Amph. 1029 compellatur servus: ulmorum Acheruns. Epid. 988 commemorantur montes mali.

⁶⁾ Cf. Sen. Excerpt. Controv. I. 3 p. 427: memini me intrare scholas, cum recitaturus esset in Milonem Cestius, ex consuetudine sua miratus dicebat: Si Thrax

γαστριμάργους insectatur. Cf. L. p. 9, II, 73 vivite lurcones ¹⁾, comedones ²⁾ vivite, ventres. Lucil. L. p. 92, 26—29, 846: omnes mandonum ³⁾ gulae. Cf. Cic. Att. 13, 31, 4: o gulam insulsam! Hor. sat. II, 2, 40 gula; ibid. II, 7, 111 gulae parens. Sen. ep. 108, 14 gulam ac ventrem; 114, 25 gulam ventremque. Martial. 1, 20, 3 venter gulaque. Novatian. l. l. p. 237₁₀ miseros divites, quibus ad imperium ventris et gylae servientibus...

Lucil. L. p. 95, 30, 872: illae gumiae vetulae improbae ineptae; idem p. 109, 30, 1001. Cf. Cic. fin. 2, 8, 24 et Stowasser, Archiv. VIII (1892) p. 444. Ceterum cf. amestrices Plaut. Cas. 778 — ganeo Cic. Catil. 2, 4, 7; Naev. apud Paul. 29; Ter. Heaut. 1034; Tac. ann. 16, 18 — helluo Cic. Pis. 10, 22; 17, 41. Phil. 2, 26, 65; 13, 5, 11. Ter. Heaut. 1033 — sacco Cic. Att. 7, 13, 5 — saturio Plaut. Pers. 103 — catillo Paul. 44, 12. Permulta exempla Atticorum comoedia exhibet: cf. γάστρις Ar. Avv. 1604, Thesm. 816 — γάστρων Rann. 200 — ἐγγλωττογάστρω Avv. 1696, χειρογάστορες (tit. fab. Nicoph. p. 778 K.) — γαστριμάργος Ar. fr. 12 K. — γλισχρών Pac. 194 — τένης Pac. 1008, 1120 — προτένης Nubb. 1198 — κάβαιος = ἀπληστος Cratin. fr. 103 K.

De Cleone dicit Aristoph. Equit. 248: φάραγξ ⁴⁾, χάρυβδις ἀρπαγῆς (cf. γαστροχάρυβδις apud Cratin. fr. 397 K.). Hic rursus ad Ciceronem revertor. Phil. 2, 27, 67 haec legimus: quae Charybdis ⁵⁾ tam vorax? Charybdim dico? quae si fuit, animal unum fuit: Oceanus, me dius fidius, vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus in locis positas tam cito absorbere potuisse.

Adi. vorax eodem sensu (de homine avaro, cupido) atque Cicero utitur Ovidius Met. 8, 830. Apud Catullum hoc epitheton plerumque hominem pathicum significat. Cf. 29, 2 et 10, ubi de Caesare loquitur:

essem, Fusius essem; si pantomimus essem, Bathyllus essem; si equus, Melissio. Non continui bilem, exclamavi: et si cloaca esses, maxima esses.

¹⁾ Cf. Plaut. Pers. 419 — lurchinabundus Caton. inc. libr. fr. 49 — lurcho Serv. Aen. 6, 4.

²⁾ Cf. Varro apud Non. 93, 20; Paul. 58, 6, 7 — congerrones Plaut. Most. 931, 1049, Pers. 89, Trucul. 101. Cic. Att. 2, 7, 3: epuloni Vatinius. Plaut. Pers. 100: coepnlonus.

³⁾ mando = edax, quod voc. occurrit apud Cic. epist. ad fam. 9, 20, 2; 23, 1.

⁴⁾ Cf. μωρὰ φάρυγξ Rann. 571 (de Hyperbolo).

⁵⁾ Cf., si quid prodest, Catull. 64, 156: quae (sc. te genuit) Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis? et Cic. Verr. V, 146: non enim Charybdim tam infestam neque Scyllam nautis...

nisi impudicus et vorax et aleo¹⁾ — 57, 8 magis vorax adulter — 33, 4 culo voraciore²⁾; cf. Aristoph. Ach. 119: ὁ θερμοβουλον πρωκτὸν ἐξυρημένα.

Cum voracitate saepissime vinolentia coniungitur. Cicero ut delicata convivia³⁾ (cf. Att. 2, 14, 1), ita etiam potandi aviditatem⁴⁾ contemnit. Cf. „ebriosus“ et „ebrius“ Catil. 2, 10; Sest. 20; Phil. 2, 67. 3, 35 — vinulentus furor epist. ad fam. 12, 25, 4 — com-bibones epist. ad fam. 9, 25, 2 — cf. Lucil. apud Non. p. 38, 12 et Aristoph. Lysistr. 1227: συμπότης — παροίνιος Ach. 981, Vesp. 1300 — φιλοπότης Vesp. 79; Eupol. fr. 208 K. — ὁ γυναῖκες ὁ ποτίσταιται Aristoph. Thesm. 735 — merobiba atque multibiba Plaut. Cure. 77. Comici viris⁵⁾ plerumque vinolentiam ignoscunt: cf. Aristoph. Vesp. 79 sq. αὕτη γε χρηστῶν ἐστὶ ἀνδρῶν ἡ νόσος (sc. εἶναι φιλοπότην). Immo voc. ὕδατοπότης (Phrynich. fr. 69 K.) et κρουνοχυτρολήραιος (Ar. Equitt. 89) significantur viri, qui propter id ipsum, quod aqua se ingurgitant, mentis incitatione et motu carent⁶⁾ — cf. notos illos Cratini versus (fr. 199 K.):

οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχύς ἵππος αἰοιδῶ
ὑδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέλοι σφρόν.

Etiam Aeschines talia proferre ausus est sec. Dem. fals. leg. 46: οὐδὲν θαυμαστόν, ὡς ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ ταῦτά ἐμοὶ καὶ Δημοσοθένει δοκεῖν οὗτος μὲν γὰρ ὑδωρ, ἐγὼ δὲ οἶνον πίνω.

Sed nolo ab eo, quod proposui, longius digredi. Restat unum substantivum abstractum, quod hoc loco afferendum est: malum. „Malum interiectio est irascentis“ adnotat Calpurn. ad Ter. Heaut.

¹⁾ Hoc sane nimis fervide est dictum et in memoriam revocat Cic. Phil. 3, 35: impuris, impudicis, aleatoribus servire. Aleo est forma vulgaris; cf. Naev. apud Paul. 29, Pompon. apud Non. 147, 3. Cicero tantum forma urbana: „aleator“ utitur et omnino haec subst. in-o exeuntia evitare conatur.

²⁾ eodem sensu: vorare Catull. 80, 6; 88, 18.

³⁾ Cf. Cato O. R. fr. p. 72 M.: qui ventrem suum non pro hoste habet, qui pro republica non pro sua (sc. re) obsonat est. Plut. vit. Cat. 9 talia verba oratori tribuit: τὸν δὲ ὑπάρπαχον κακῶν ἐπεὶ δ' ἄνε, ἔφη, βεῶμα τοιοῦτον τῇ πόλει γένοιτο χρήσιμον, οὗ τὸ μεταξὺ λαμοῦ καὶ βουβάνων πᾶν ὑπὸ τῆς γαστρὸς κατέχεται.

⁴⁾ Cf. cognomina apud Romanos: Briso, Culleo, Mero.

⁵⁾ Sed nunquam mulieribus. Permulta exempla apud Aristoph. Cf. etiam Cato O. R. fr. p. 77 M.: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.

⁶⁾ Cf. Otto, Archiv. IV (1887) p. 355.

IV, 3, 38. Haec interiectio semper enuntiatis interrogativis interponitur. Cf. Cic. Verr. I, 20, 54; II, 17, 43. Phil. 1. 6, 15; 10, 9, 18. Att. 5, 20, 1; 9, 18, 3. Saepissime haec interiectio apud Plautum occurrit: cf. Amph. 403, 592, 604, 625; Aulul. 429; Bacch. 672, 696; Capt. 531; Cas. 91, 262, 472; Epid. 710; Men. 390, 793; Merc. 185; Mil. 446; Most. 6, 34, 368; Poen. 261; Pseud. 242, 1295; Stich. 597; Rud. 492, 945; Trucul. 62, 801, 930. Duobus tantum locis apud Plautum respondet „malum“ graeco vocabulo τὸ κακὸν (Aristoph. Ach. 156, 829; Vesp. 1483; Pac. 181; Avv. 931, 992): Most. 191: Pro Iuppiter, nam quod malum versatur meae domi illud? Rud. 319: deorum odium atque hominum, malum, mali vitii probrique plenum. Cf. Lact. de mort. persecut. c. 40 Licinium quasi malum metuentes.

Itaque enumeravimus abstracta, in sermone vulgari primas, ut ita dicam, partes agentia, quorum usus etiam apud Ciceronem late palet. Sed iam supra admonui neminem, qui ad Ciceronis contumelias indagandas studium suum conferat, oblivisci debere ipsi cum rhetore rem esse, qui accurate rhetoricis regulis orationem suam conformet, neque unquam adeo suae magistrae dignitatem despiciat, ut vulgaribus vocibus nimis saepe admiscendis eius severitas et gravitas obliteretur. Itaque ubi iustum putavit adversarii vitam et delicta tristissimis verbis depingere, non a rhetorico apparatu alienum esse censuit tantummodo in universum vitia enumerare (quae mirum in modum et Catilinae et Vatinio et Verri et Antonio communia repperit), ne nimiis conviciis ingerendis oratio libelli criminosi speciem prae se ferret. Ita explicari possunt innumerabilia fere abstracta, quibus vitia reorum continentur et notantur. Nemo quidem non facile intellet, quare simplici et minime exquisito dicendi genere excellens Plautus in hac re tantum paucissima exempla in medium proferat. Apud eum occurrunt plerumque vocabula, quibus servorum doli atque astutiae significantur, ex. c. turbas dare Pseud. 357, turbellas facere Pseud. 1057, 1091, sycophantia Pseud. 740, 806, fabrica Pseud. 366, sutelae Capt. 692. Contra Demosthenes et Aeschines non secus atque Cicero hoc genere abstractorum abundant. Cf. ex. gr. Aesch. Tim. 105: ἀλλὰ τούτῳ ἀντὶ τῶν πατέρων περίεστι βδελυρία, συκοφαντία, θράσος, τρυφή, δειλία, ἀναίδεια, τὸ μὴ ἐπίστασθαι ἐρυθριᾶν ἐπὶ τοῖς αἰσχροῖς. Cf. Tim. 60, 65, 71, 88, 92, 107, 172, 179, 182. fals. leg. 1, 4, 11. Dem. Timocr. 172, 177, 182, 186, 195; Arist. 201 cet. Nunc ex Tullianis invectivis et epistulis nonnulla

exempla proferam, quantum per huius dissertatiunculae angustias fieri potest.

div. in Caec. 2, 6 ut homo singulari cupiditate, audacia, scelere praeditus... Verr. I, 2, 6 de impudentia singulari — infra: pro cetera eius audacia atque amentia. Verr. I, 12, 33: ut aliquam partem de eius impudentia reticere possim. Verr. III, 53, 122: idem absens de istius scelere, improbitate, audacia testimonium dicat? Verr. V, 25, 62 huncine hominem! hancine impudentiam, iudices! hanc audaciam! Catil. 1, 1 quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Catil. 1, 4, 8 convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. Cf. Dem. Timocr. 177 extr. αἰεθεῖς δ' ἐπὶ ταῦτα προσελετο τοῦτον τὸν πάντων τῶν κακῶν κοινώνον. Catil. 2, 1, 1 Catilinam furem audacia, scelus anhelantem. Catil. 2, 5, 11 cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est. Vatin. 5, 13 quaero abs te primum universe, quod genus improbitatis et sceleris in eo magistratu praetermiseris? Vatin. 9, 18 leges, quae in Gracchorum ferocitate et in audacia... Pis. 31, 76 vestrae fraudes, vestrum scelus, vestrae criminationes insidiarum mearum. Phil. 2, 2, 4 o incredibilem audaciam! o impudentiam praedicandam! Phil. 2, 27, 68 o audaciam immanem! Phil. 3, 5, 13 tum statuistis etiam intra muros Antonii scelus audaciamque versari. Phil. 3, 7, 18 o admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem. Phil. 8, 7, 21 quam M. Antonii non solum audaciam et scelus, sed etiam insolentiam superbiamque perspeximus. epist. ad fam. 12, 8, 1 scelus affinis tui Lepidi summamque levitatem et inconstantiam aetatis... — de pet. cons. 54 in qua multae insidiae, multa fallacia, multa in omni genere vitia versantur, multorum arrogantia, multorum malevolentia, multorum superbia, multorum odium ac molestia ferenda est — cf. Att. 3, 8, 4; 3, 15, 4; 6, 2, 9; 7, 14, 1; 9, 10, 3; 10, 4, 2; 11, 10, 1; 11, 21, 1; 13, 10, 3. de pet. cons. 10. epist. ad fam. 12, 10, 1; 12, 10, 4; 12, 15, 1; 15, 4, 10. ad Q. fr. 1, 2, 14; 2, 14, 2; 3, 2, 2; 3, 9, 1.

Ista fortasse sufficient. Nunc ad alteram dissertationis partem transeo, ubi accuratius inquirere libet in cetera maledicta, quibus Cicero in suis invectivis et epistulis utitur. Sed certus quidam ordo — quod satis perspicuum est — nullo modo hic servari poterat. Primum maledicta Plautinis simillima affero.

Notum est Plautum, ut qui ipse humili genere natus et fortunae iniquitatem per magnam suae aetatis partem expertus esset, praecipue

servorum vitam moresque optime cognitos habuisse. Prorsus alienum a re proposita erat exemplis hanc sententiam firmare et Plautini sermonis summam ubertatem, quam in hac provincia administranda praestitit, laudibus efferre, postquam iam Lorenzius in prooemiis, quae Plauti fabularum editionibus¹⁾ praemisit, diligentissime rem tractavit. Hoc solum commemorandum est Plautum plurima maledicta a poenis, quibus servi afficiuntur, tum etiam ab instrumentis, quae ad hoc adhibentur, repetere. Sicubi igitur apud Ciceronem similia deprehendimus, ibi Plauti imitationem agnoscimus necesse est.

Frequentissimum convicium, quod huc pertinet, est: *furcifer*²⁾; cf. Plaut. Amph. 285, 539; Asin. 484, 485, 677; Capt. 563, 577; Cas. 139; Mil. 545; Most. 69, 1172; Poen. 784; Pseud. 189, 349; Rud. 717, 996. Cic. Vatin. 6, 15; Pis. 7, 14; Deiot. 26.

Alterum opprobrium, ab eius denominatione repetitum, qui poenas exsequitur, est: *carnifex*.

Cf. Plaut. Amph. 376, 422, 518, 588; Asin. 483, 697, 892; Most. 1114; Pers. 547, 747; Bacch. 687, 785, 876; Merc. 618; Pseud. 686; Rud. 882. Cic. Pis. 5, 11 — cf. Verr. I, 3, 9: *crudelissimum carnificem civium sociorumque*. Verr. V, 45, 118: *aderat ianitor carceris, carnifex praetoris, mors terrorque sociorum et civium*. Verr. V, 49, 129: *te suum carnificem nominans*. Cf. Helv. Cinna O. R. fr. p. 328 M.: *sub te adolescentulo carnifice*. Ter. Andr. 182, 651, 852; Eun. 670. Novatian. l. l. p. 237₁₅: *carnifices salutis ventrem et gylam*. Lact. de mort. persecut. c. 31 *officiorum omnium milites, vel potius carnifices*³⁾.

Alia e servorum lingua deprompta maledicta sunt: *verbero* Plaut. Amph. 180, 284, 519, 565, 1029; Asin. 416, 485, 625, 669; Capt. 551; Cas. 380; Curc. 196; Merc. 189; Mil. 322, 500, 1056; Most. 1113; Pseud. 360, 1046, 1025. Ter. Phorm. 684, 850. Cic. Att. 14, 6, 1. Cf. *ξέντρον* Ar. Nubb. 450 — *μαστργία* Equitt. 1228; Lysistr. 331, 1240; Rann. 501 — *mastigia* Plaut. Amph. fr. 1; Capt. 600, 659; Cas. 361, 446; Curc. 567. Ter. Ad. 781 — litte-

¹⁾ Cf. Pseud. p. 29 sqq., Most. p. 29.

²⁾ Apud Plautum occurrit etiam: *trifurcifer* Aul. 326, Rud. 734, quocum cf. *τρίφατος* apud. Ar. fr. 411 K. Etiam *triverbero* et *trimastigia* eruerunt e glossis Guil. Heraeus, Archiv. X (1896) p. 513 et G. Landgraf, Archiv. IX (1894) p. 393 sq.

³⁾ Multus est in conviciis adhibendis *Lucifer Calaritanus*, de quo cf. Archiv. III 1 sqq. 285.

ratus¹⁾ Plant. Cas. 401. Cic. off. 2, 25, cf. στιγματίας Ar. Lys. 331. Eupol. fr. 159 v. 14 K.; fr. 276 v. 2 K. In Milleri Mélanges p. 425: στίγων, πέδων, πεδίτης, καλίμβολος (cf. Aeschin. fals. leg. 40: τὸ καλίμβολον). Aeschin. fals. leg. 79 nominat Demosthenem: ἀνδραποδῶδης καὶ μόνον ἐστιγμένος αὐτόμολος — plagiarus Cic. ad Q. fr. 1, 2, 6. Sen. tranqu. 8, 4; cf. ἀνδραποδιστής Ar. Thesm. 818, mango Lucil. apud Non. 274, 15; Sen. ep. 80, 8 — fugitivus Cic. Verr. III, 67, 156; Catil. 2, 9, 19. Plaud. Pseud. 353; Cas. 397; Cure. 290 (drapetae). Cf. δούλος Ar. Vesp. 1187, fr. 4 K., Dem. 20, 131 — δούλευμα Soph. Ant. 750 — servus²⁾: Plaut. Pers. 420 (perenniserve); servuli sordiduli Poen. 270 — verna Plaut. Amph. 1033, Lucil. p. 117, 30, 1063 L.

Haec convicia satis dilucide Plautinum exhibent colorem. Nunc pergimus ad alia, quae plerumque Plautum nobis in memoriam revocant. Scimus enim Ciceronem multa narrare de veneficis, parricidis, sicariis, nebulonibus, gladiatoribus, latronibus ceterisque pestibus et rei publicae incommodis — haec sane cupidius et aestuosius, quam ut omnia vera esse credamus. Ex gr. Phil. 13, 11, 25 dicit orator de Antonio:... et ut venefica haec liberetur obaidione? cf. hic Plautum: veneficus Amph. 1043, Pers. 278, Rud. 987, 1112 — venefica Epid. 221, Trucul. 762 — tervenefica³⁾ Bacch. 813 — trivenefica⁴⁾ Aulul. 86. Catil. 2, 4, 7 haec legimus: Quis tota Italia veneficus, quis gladiator⁴⁾, quis latro, quis sicarius⁵⁾, quis parricida, quis ganeo, quis nepos... inveniri potest... Voc gladiator, latro, praedo convicioorum loco saepissime a Cicerone usurpantur. Cf. Catil. 2, 11, 24 gladiator illi confecto et saucio. Vatin. 15, 37 illius tui certissimi gladiatoris (sc. Olodii). Pis 9, 19: cum illo bustuario gladiatore. Phil. 13, 11, 25 contra crudelissimi gladiatoris amentiam. Cf. Phil. 2, 3, 7; 3, 7, 18; 5, 4, 10; 5, 12, 32; 6, 2, 3. epist. ad fam. 12, 2, 1; 12, 22, 1. ad Oct. 9.

¹⁾ Cf. Ar. fr. 64 K. Σαμίων ὁ δῆμος ἐστιν ἰός πολυγέμματος.

²⁾ De Antonio dicit Cic. epist. ad fam. 12, 3, 2: dominum (sc. Caesarem) ferre non potuimus, conservo servimus. Epist. ad fam. 8, 15, 2 dictus est Ant.: Psecaed (= servo) natus.

³⁾ Cf. p. 196 not. Ad voc. veneficus cf. φαρμακός, Ar. Equitt. 1405, Ran. 733, fr. 634 K. Dem. 25, 80 — φαρμακός, Dem. 25, 79.

⁴⁾ Simili modo nominat Antonius Ciceronem: Ianistam Phil. 13, 19, 40.

⁵⁾ Cf. epist. ad fam. 12, 3, 1. ad Brut. 1, 17, 1. de petit. cons. 8.

Latro. Catil. 1, 13, 33 latrones Italiae. Vatin. 6, 15 Vatinii latronis ac sacrilegi¹⁾. Pis. 5, 11 Clodius nominatur: latro. Phil. 13, 12, 26 fortis, ut aiunt, latro. Phil. 14, 10, 27 princeps latronum duxque²⁾. Cf. Phil. 3, 11, 29; 5, 6, 18; 5, 11, 30; 8, 3, 9; 11, 2, 4. Att. 7, 18, 2; 14, 10, 1. epist. ad fam. 10, 5, 3; 10, 6, 1; 10, 15, 1; 10, 15, 4; 10, 23, 3; 12, 2, 2; 12, 12, 2; 12, 14, 1; 12, 15, 2; 12, 15, 7; 16, 27, 2. ad Brut. 1, 2, 1; 1, 11, 1 — cf. C. Caesar Calig. O. R. fr. p. 577 M. ut dirum nomen latronis taceam. Liv. 40, 9: latro atque insidiator.

latrocinium. Phil. 4, 6, 15 Antonii nefarium latrocinium. Att. 4, 3, 3 homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos. epist. ad fam. 12, 25, 6 Antoniano latrocinio. ad Q. fr. 2, 1, 3: de toto furore latrocinioque P. Clodii. Cf. Att. 14, 10, 2; 15, 13, 4 et λήστης Dem. 2, 19. 10, 34.

Primum vocabulum et quidem hoc sensu, quem ex Cicerone novimus, Plautus nusquam adhibuit³⁾; alterum in comediis Plautinis proprium significatum habet et militem mercenarium designat, cf. Curc. 548, Mil. 74, 949, Poen. 663, Stich. 135, Bacch. fr. 20, unde latrocinare = λατρεύειν Mil. 499. Scilicet Plautus, cum hoc substantivo utebatur, nunquam de eiusdem etymo cogitabat ut ex. c. Varro, qui (de L. L. VII, 52 M.) iuxta tres etymologias componit: a latère, latère et λάτρον = merces. Plautus non etymologiae sed usitatissimi huius vocabuli sensus rationem habuit et latronum nomine praedones illos mercenarios appellabat, illos milites gloriosos rapaces et fraudulentos, quibus saepe tumida et ridicula nomina imponit. Itaque Poen. 704 latrocinari = praedari. Apud Ciceronem de utraque huius verbi significatione cogitari potest⁴⁾.

Praedo. Verr. I, 18, 46 hic navis illa praedonis istius — cf.

¹⁾ Cf. Plant. Pseud. 351, Rud. 706.

²⁾ Cf. epist. ad. fam. 10, 14, 1 nobilissimi latronum duces — ad Brut. 1, 5, 2 latronum duces.

³⁾ Hoc facile est intellectu. Cicero enim memoria tenuit praeclaram illam gladiatorum et servorum seditionem, quam Spartacus a. 73 ante Chr. natum movit. Unde etiam Spartaci nomen munere convicii fungitur: cf. Phil. 4, 6, 15 est... omne certamen cum percussore, cum latrone, cum Spartaco. Phil. 13, 10, 22: o Spartace! quem enim te potius appellem? Simili modo voc. „pirata“ Ciceroni recordatio obtulit celeberrimae illius victoriae, quam Pompeius de praedonibus maritimis reportaverat.

⁴⁾ Cf. Fr. Vogel, Archiv. XII (1901) p. 424., Aug. Zimmermann, Archiv. XIII (1903) p. 416.

Verr. I, 58, 152; I, 59, 154; II, 57, 141; II, 75, 184; III, 32, 76; V, 21, 55. Phil. 13, 14, 29: fregi adiuvantibus vobis exsultantis praedonis audaciam. Cf. Tac. Ann. 3, 73 desertor et praedo. Eodem sensu usitatum est apud Ciceronem voc. pirata. Verr. IV, 10, 23: isti praedoni ac piratae. Verr. V, 26, 67 pirata iste. Cf. Ver. V. 25, 64; V, 26, 65; V, 27, 70. Phil. 13, 8, 18: archipirata. Cf. Plaut. Men. 1015: vos scelesti, vos rapaces¹⁾, vos praedones. Voc. „pirata“ hac significatione praeditum apud Plautum non exstat.

Fur Cic. Verr. I, 9; III, 137; V, 4. Pis. 38; cf. Plaut. Asin. 421, 681; Aul. 322, 326, 633, 768; Capt. 1018; Cas. 720; Pseud. 365; Rud. 881; Stich. 766. Cato O. R. fr. p. 79 M. fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus aetatem agunt, fures publici in auro atque in purpura. Ter. Eun. 776, Lucil. 320, 356 (ibid. sectorem), 698, 701: confectores cardinum. Catull. 33, 1. Hor. sat. II, 7, 72 — homo furacissimus Cic. Pis. fr. 4 — furunculus Pis. 56 — adi. tagax Att. 6, 3, 1. Catullus de Pisonis ministris dicit: Porci et Socraton, duae sinistrae Pisonis, cf. Cic. Verr. II, 27 cohors tua illa tua manus fuit. Plaut. Aul. 554 cum senis manibus (coquus). Cic. Att. 14, 20, 5: Quintus filius, ut scribis, Antonii est dextella et Quintil. 6, 3, 69: Cicero per allegoriam M. Coelium melius obicientem crimina quam defendentem, bonam dextram, malam sinistram habere dicebat. Cf. φώρ Ar. fr. 57 K. — κλέπτης Equitt. 1252; Vesp. 953, 1227; Pac. 402; Thesm. 1112; Eccl. 438, fr. 291 K. — βαλκωνιστόμος Ar. Rann. 772, Ephant. fr. 4 K., Teleclid. fr. 15 K., Aeschin. Ctes. 207. Plaut. Trin. 862: sector zonarius — λωποδύτης Ar. Avv. 497, Thesm. 817, Rann. 772. Catull. 33, 1: fur balnearius — cf. grassator saepe apud Cic. — erro Verg. Dir. 70; Tib. 2, 6, 6; Hor. sat. II, 7, 113.

Hoc loco veluti in transcurso aliquot maledicta attingam, quae haud magni sunt apud oratorem momenti. Admodum vulgaria et trita sunt: scurra, nebulo, nepos, histrio, alia.

Verr. III, 62, 146: qui te scurram improbissimum existimari vult, qui a scurris semper potius gladiator, quam scurra appellatus sit. Cf. epist. ad fam. 9, 20, 1; 9, 21, 3. „Scurra“ apud Ciceronem et Horatium (ex. c. sat. I, 5, 51 sqq.) parasitum²⁾ significat; contra

¹⁾ Cf. Cic. epist. ad fam. 7, 3, 2: reliquos primum in ipso bello rapaces — rapinator Lucil. II, 60.

²⁾ Cf. anteambulo Mart. 2, 18, 5; 3, 7, 2; 10, 74, 3.

apud Plautum (cf. Epid. 15, Most. 15, Poen. 612, Pseud. 407, Trin. 200 sqq., Stich. 196 sqq.) — hominem urbanum et „famigeratorem“, cf. Catull. 22, 12. Ar. Vesp. 788: *σκαπτόλης*; — Cato de re rust. 5, 2: ambulator, idem O. R. fr. p. 132 M. spatiatorem atque fescenninum.

Nebulo¹⁾, cf. Phil. 2, 29, 74, Att. 1, 12, 2; 2, 9, 1; 6, 1, 25; 6, 3, 7; 15, 21, 3. Scipio Afric. Maior O. R. fr. p. 7 M. Ter. Eun. 269, 717, 785. Lucil. 14, 392; 20, 509. Hor. sat. I, 1, 104²⁾; I, 2, 12, ep. I, 2, 28.

Nepos Cic. Catil. 2, 4, 7, Att. 6, 2, 9. Hor. ep. I, 15, 36; II, 2, 193.

Nugator³⁾ Cic. Att. 6, 1, 15, Scipio Afric. Maior O. R. fr. p. 7 M., Lucil. 20, 509; 30, 867 — nugax⁴⁾ Cic. epist. ad fam. 8, 15, 1. C. Titius O. R. fr. p. 205 M. Cic. Att. 6, 3, 5: amicos habet meras nugas, cf. Plaut. Poen. 348: *nugae merae* (de puella). Cic. ad Q. fr. 1, 2, 2, 4: ego nugas maximas omni mea comitate complexus sum Nymphontem... cf. Cic. Sest. § 24, Mil. § 55.

Histrion⁵⁾ Cic. Att. 1, 16, 12 consul histrionis similis — de pet. cons. 10: cum histrionibus et cum gladiatoribus ita vixit. Cf. mirmillo Cic. Phil. 3, 31. 5, 20. 6, 10. 13. 7, 17. 12, 20. Schol. Iuv. 8, 200 — ardalio Mart. 2, 7; 4, 78 (cf. A. Sonny, Archiv. X (1896) p. 381).

salaco Cic. epist. ad fam. 7, 24, 2 —

sannio Cic. epist. ad fam. 9, 16, 10; cf. *σάννας* Cratin fr. 337 K., Sannio nomen lenonis in Ad. Ter. — tum dorici mimi personas: *Σαννυρίων, Σαννῆς, Sannio*.

baro⁶⁾, militaris vox sollemnis, cf. Fisch. l. l. p. 62. Cic. Att. 5, 11, 6. epist. ad fam. 9, 26, 3. fin. 2, 76. div. 2, 144 —

¹⁾ Cf. lucifigus Lucil. 14, 392 — lusciosus apud Plautum, quod respondet gr. *κατάλωψ*.

²⁾ *vappam* ac nebulonem. Cf. Cassius Severus O. R. fr. 549 M. *vappa*.

³⁾ Apul. met. 5, 29: nugo et corruptor. Cf. gerro Plaut. Trucul. 551, Ter. Heaut. 1033 — *κόβαλος* Ar. Equitt. 450, Rann. 1015, Plut. 279 — *λίπος* Xenarch. fr. 7 K. — parasitus Plaut. Most. 871 — *κόλαξ* Aesch. Ctes. 77, Dem. 18, 296 cet.

⁴⁾ Cf. G. Landgraf, Archiv. X (1896) p. 225 sqq.

⁵⁾ Cf. R. Fisch: Subst. personalia auf-o-onis, Archiv. V (1888) p. 56 sqq.: ubi plurima subst. et cognomina in-o exeuntia congesta sunt; ibidem p. 223 sqq. W. Meyer: Das lat. Suffix -o-onis. Praeterea cf. Aug. Zimmermann: Die lat. Personennamen auf -o-onis, Archiv. XIII (1903) p. 225 sqq.

⁶⁾ Contraria notio est: veterator Cic. ad Q. fr. 2, 11, 4; cf. Lucil. 29, 761: veteratorem illum ac vetulum lupum Annibalem.

cf. *bardus* Plant. Pers. 170, *Bacch.* 1088, *Epid.* 421 — *brutus* Cic. Att. 6, 1, 25; 14, 14, 2.

Nunc rursus aliquantulum digrediar necesse est, ut de aliquot maledictis nonnulla proferam, quae apud Ciceronem inveniri nemo mirabitur, si oratoris animum rei publicae amore ardentem reputabit. In hac re Plautus tantummodo perraro in comparisonem vocari poterat.

Praecipue igitur cives seditiosos et regni affectatores Cicero exagitat eosque nominat: parricidas, hostes rei publicae, proditores patriae, tyrannos.

Vox parricida¹⁾ apud oratorem varias habet significationes. Ex. c. Mil. 7, 17 eum significat, qui parentibus mortem obtulit²⁾ (cf. S. Rosc. 25, 70; orat. 30, 107) et respondet Plant. Pseud. 362: parricida. Haud ab re erit unum locum e Cicerone ipso afferre, qui similia continet: Vatin. 5, 11 legimus: Licet impune per me parietes [in adolescentia] perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris³⁾. Hic statim cf. Plaut. Pseud. 963: perforator parietum⁴⁾, Asin. 563: ubi parietes perfoderis, in furto ubi sis prehensus et Pseud. 355: verberavisti patrem atque matrem.

Plerumque tamen hoc maledicto civium liberorum interfectores⁵⁾ et patriae proditores notantur. Cf. Vatin. 15, 35: estne igitur patriae certissimus parricida? Phil. 4, 2, 5: hostem illum et latronem et parricidam patriae. Phil. 11, 9, 21 cum a populo Romano pestiferi cives parricidaeque desciverint. Phil. 12, 6, 13 huic igitur importuno atque impuro parricidae; cf. Catil. 1, 12, 29; Phil. 8, 3, 8, 13, 19, 42. 13, 9, 21. Att. 10, 10, 5. epist. ad fam. 10, 23, 3; 23, 5. 12, 3, 1; 15, 4. ad Brut. 1, 15, 5. ad Oct. 6.

Hostis. Catil. 1, 13, 33 hostes patriae. Catil. 2, 6, 12 ut perditum civem ac non potius ut importunissimum hostem. Vatin. 11. 26 impurissime [et perditissime] hostis. Phil. 5, 8, 21: taeterrimum

¹⁾ Cf. Woelfflin, Archiv. XII (1901) p. 171 sq.

²⁾ Saepe in Atheniensium legibus haec formula occurrit: ἐάν τις ἀλοῦς τῆς κακώσεως τῶν γονέων, cf. Dem. Timocr. 103 — πατραλοίας Timocr. 102.

³⁾ ad Q. fr. 1, 2, 4 matricida. Idem Lact. de mort. persecut. c. 2.

⁴⁾ τοιχωρύχος Ar. Nubb. 1327, Rann. 773, 807, Plut. 869, 909, 939, 1142 — cf. Dem. 54, 37 τοίχους τοίνυν διορύττοντας καὶ παίοντες τοὺς ἀπαντῶντας et Catonis locutionem O. R. fr. p. 148 M. vecticulariam vitam vivere.

⁵⁾ Cf. Lact. de mort. persecut. c. 16: non pusillum homicidam; ibid. c. 30 manifestus homicida.

et crudelissimum hostem. Cf. Catil. 2, 8, 17. Phil. 7, 3, 10; 4, 11; 4, 13. 13, 9, 21. epist. ad fam. 12, 13, 1. ad Oct. 5, 7 (quater de Antonio).

Proditor. Vatin. 3, 7 si ego te perditorem et vexatorem rei publicae fero. Vatin. 10, 25 qui duo nefarios patriae proditores, domesticos hostes, legibus exterminarat.

Nonne haec in memoriam revocant Aristoph. Vesp. 474 sq.: ὦ μισόδημε καὶ τῆς μοναρχίας ἐρῶν καὶ ξυνῶν Βρασίδα — cf. Dem. de cor. 135: προδότην εἶναι καὶ κακόνου — ibid. 137: αὐτὸς ὑπῆρχε τῆ φύσει κατὰσκοπος καὶ πολέμος τῆ πατρίδι — ibid. 61: προδοτῶν καὶ δωροδόκων καὶ θεοῖς ἐχθρῶν — cf. de cor. 47; 134. Ar. Vesp. 411: ἄνδρα μισόπολιν, Acharn. 290: ὦ προδότα τῆς πατρίδος. Plaut. Rud. 50: urbis proditor. Hoc sane interest inter oratorum et comicorum dicta, quod illi ex animo loquuntur, hi autem ridendi causa amoto ludo seria quaerunt.

Tyranni denominatione plerumque Verres vexatur. Verr. I, 32, 82: cum te in oppidis et civitatibus amicorum non legatum populi Romani, sed tyrannum libidinosum crudelemque praebueris. Ver. III, 10, 25: utrum praetoris iustitiam in socios an in hostes victos insani edictum atque imperium tyranni. Verr. V, 44, 117: non de praetore Siciliae, sed de nefario tyranno fieri iudicium arbitratur.

Etiam Caesar et Antonius; cf. Att. 7, 20, 2. 8, 2, 4. 10, 1, 3. 10, 4, 3. 10, 12 b, 1. 15, 3, 2; 20, 2. 14, 5, 2. 14, 6, 2. 14, 9, 2. 14, 14, 2. 14, 14, 4. 14, 17, 6. 16, 14, 1. epist. ad fam. 12, 1, 2. 12, 12, 2. ad Q. fr. 1, 1, 9. ad Brut. 1, 4, 5.

Similiter Graecorum comici Periclem nominabant τύραννον; cf. Cratin. fr. 240 K.: Στάσις δὲ καὶ πρεσβυγενῆς Κρόνος ἀλλήλοισι μίγνεντε μέγιστον τίκτετον τύραννον¹⁾.

Nunc in alium descendimus campum, in quo Cicero nulla ex parte comicis cedit. Hi enim saepiuscule ab animalibus²⁾ opprobria petunt. Apud Ciceronem maxime usitata epitheta, quae ad hoc genus pertinent, sunc haec: animal, belua, pecus.

Verr. I, 16, 42: aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis? Pis. 9, 21 complexus es funestum

¹⁾ Cf. Plaut. Pseud. 682 tyranne (hoc loco Pseud. paratragedat). Apud scriptores ecclesiasticos hoc maledicto minime offendimur: cf. Lact. de mort. persecut. c. 1 tyrannorum nefaria et cruenta imperia, c. 2. execrabilis ac nocens tyrannus (sc. Nero), c. 31 o dementissime tyranne, cf. c. 6 et 49.

²⁾ Cf. cognomina, quibus sermo Latinus large copioseque est instructus: Stello, Buteo, Muto, alia.

illud animal ex nefariis stupris, ex civili cruore, ex omni scelerum importunitate conceptum. Pis. fr. 5 quae te beluam ex utero non hominem fudit. Pis. 1, 1 iamne vides, belua. Pis. 4, 8 cum hac importuna belua. Phil. 4, 5, 12 sed cum immani taetraque belua. Phil. 6, 3, 7 sed ut de importunissima belua cogitare. Phil. 7, 9, 27 taetram et pestiferam beluam. Cf. Verr. V, 42, 109 (bis). Phil. 3, 11, 28. 8, 4, 13. 10, 10, 22. 12, 11, 26. 13, 3, 5. 13, 10, 22. Pis. 9, 19 ego istius pecudis¹⁾ ac putidae carnis consilio... Pis. 29, 72:... istius impurissimae atque intemperantissimae pecudis caeno et sordibus inquinavit. Phil. 2, 12, 30: sed stuporem hominis vel dicam pecudis adtendite. Phil. 8, 3, 9 atque etiam homines agrestes, si homines illi ac non pecudes potius. Cum his cf. Plaut. Bacch. 55: mala tu es bestia²⁾. Most. 569, Trin. 952: belua. Most. 607 sqq.: neque ego taetriorem beluam vidisse me umquam quemquam quam te censeo. Most. 619, Rud. 543: impurata belua. Hor. ep. I, 1, 76: belua multorum es capitum. Lact. de mort. persecut. c. 4 execrabile animal Decius — ibid. c. 39 animal nefarium — ibid. c. 2 ut ne sepulturae quidem locus in terra tam malae bestiae (sc. Neroni) fuit. Eadem locutione utitur Lact. de tyrannis scribens ibid. c. 4 et c. 9 de Maximiano Galerio: inerat huic bestiae naturalis barbaries et feritas; cf. c. 16, 25, 32, 39, 42 — divinarum autem Instit. lib. V, c. 11: illa est vera bestia — c. 23: postea vindicaturum se in eos Deus pollicetur et exterminaturum bestias malas de terra. Cf. c. 2 et lib. VI c. 9. Beluas etiam eos nominat lib. V, c. 11, lib. VI, c. 17. Adde: θηρίον Ar. Equitt. 273, Nubb. 184, 1286, Vesp. 23, 448, Lysistr. 468, 1014, Eccl. 1104. Dem. 24, 143. 25, 8. 31. 58. 95. 35, 8. Aeschin. fals. leg. 20, Ctes. 182 — κνώδαλον Ar. Vesp. 4, Lysistr. 476 — κνώδαλ' ἀντιδῆ Cratin. fr. 233 K. — κῆτος Ar. Thesm. 1033.

Praeterea certorum animalium sive conspicua sive credita vitia saepe ad sales transferuntur³⁾. Hoc conviciorum genere et Graecorum et Romanorum comoediam, ut ita dicam, madere, inter omnes constat.

¹⁾ Cf. πρόβατα Ar. Nubb. 1203, Cratin. fr. 43 K., Dem. 25, 40. Plaut. Trucul. 269: pudendumst vero... pecus (sc. mulieres); cf. Bacch. 1123, 1139. Propert. III, 16, 8. Hor. sat. I, 3, 100, ep. I, 19, 19.

²⁾ Cf. Adam Steph. Miodoński: De usu vocabuli 'bestia' apud scriptores Latinos inde a temporibus Plauti usque ad exitum saeculi II post Chr. Cracov. 1886.

³⁾ Magnam copiam invenimus apud Novatian. l. l. p. 233.

Quatenus iis Cicero contra inimicos suos usus sit, ex exemplis cognoscemus.

Canis ¹⁾ apud antiquos impudentiae et animi abiecti exemplum habebatur. Ut iam omittam voc. *κύων*, quod apud Homerum passim hoc sensu occurrit (cf. *Il.* 6, 344, 356; 8, 423; 21, 481 — *κυνῶπις* *Il.* 3, 180; 18, 396. *Od.* 4, 145; 11, 423), „canis“ Plaut. *Amph.* 680; Ter. *Eun.* 803; *Catull.* 42, 17; Hor. *epod.* 6, 1. *sat.* I, 7, 25; II, 2, 56 — omnino ad comicos relegandum esse censeo, qui hoc epitheto praecipue hominum mordacitatem et malitiam notant; cf. *Ar. Equitt.* 415, 1025, 1030, *Pac.* 482 *cet.*, *Archipp. fr.* 6 *K.*, Plaut. *Bacch.* 1146: *mordax canis*. *Cas.* 320 *canis* (sc. *eri uxor*). *Curc.* 598: *apage istanc caniculam* (sc. *Planesium*). *Men.* 838: *rabiosa femina canis* (sc. *uxor Men.*); cf. v. 936.

Apud Ciceronem haec vox nonnihil a sermonis comici usu et consuetudine recedit. Ex iis locis, quos infra laudo, perspicuum est oratorem hoc maledicto homines quidem abiectos, sed eosdem sollertes et cuiusdam potentis nec non periculosi turbatoris asseclas, lacessere. *Verr.* I, 48, 126: *multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet*. *Verr.* III, 11, 28: *Quid? ista cohors quorum hominum fuit? Volusii haruspicis et Cornelii medici et horum canum, quos tribunal meum vides lambere* ²⁾. *Verr.* IV, 19, 40: *apponit de suis canibus quendam*. *Verr.* IV, 21, 47: *qui simul in oppidum quodpiam venerat, immittebantur illi continuo Cibyatici canes, qui investigabant et perscrutabantur omnia*. Cf. *Verr.* IV, 13, 30, ubi Cicero sollertiam horum hominum cum canibus venaticis comparat et *Soph. Aiant.* 7, sq.: *εὖ δέ σ' ἐκφέρει | κυνὸς Λαλαίνης ὡς τις εὖρανος βίας*. *Pis.* 10, 23: *Clodiane canis*; cf. *Att.* 6, 3, 6: *Gravius est quidam, cui quum praefecturam detulissem Bruti rogatu, multa et dixit et fecit cum quadam mea contumelia P. Clodii canis*.

Aliud convicium Cicero Pisoni Caesonino affigit, quem propter supra nefanda ³⁾ (cf. *Pis.* 18, 42) *admissarium* nominat *Pis.* 28, 69 Cf. Plaut. *Mil.* 1112, *Sen. N. Q.* I, 16, 2 — *equus* Hor. *sat.* II, 7, 50 — *κρόνιππος* *Ar. Nubb.* 1070 — *ὦ σαμφόρα* *Nubb.* 1298 — *σειραφόραν* *Nubb.* 1300.

Eundem Pisonem 30, 73, ubi alto supercilio eos despicit, qui

¹⁾ Cf. C. Weyman, *Archiv.* XIII (1903) p. 267.

²⁾ Cf. *sublingio* Plaut. *Pseud.* 870.

³⁾ Cf. *Catull.* 47, 4 *verpus* praeposuit *Priapus iste*.

suum poeticum ingenium in dubium vocare ausi sunt et in celebrato illo versu: „cedant arma togae, concedat laurea laudi“ iacetias et iocos exercebant, ille, credo, in poësi Aristarchus nequaquam autem Phalaris¹⁾ acerbe alloquitur: asine. Cf. Att. 4, 5, 3: scio te voluisse et me asinum germanum fuisse — Plaut. Pseud. 135: neque homines magis asinos umquam vidi; cf. Aul. 230, Ter. Heaut. 877, Ad. 935, Hor. ep. I, 13, 7—9. Plaut. Cist. fr. 39 vetus canterius, Mil. 216 canterie. Catull. 83, 3 mule²⁾, nihil sentis. Ar. Avv. 1328: πάνυ γὰρ βραδύς ἐστὶ τις ὥσπερ ὄνος. Hermipp. fr. 9 K.: ὄνος κωνθήλιος (sc. Pisander).

Homines deformes vel malitiosi simii nominantur; cf. Cic. epist. ad fam. 5, 10a, 1: simius, non semissis homo (sc. Vatinius) — epist. ad fam. 8, 12, 2... quam illius simiae vultum subire (sc. Appii) — epist. ad fam. 7, 2, 3 hic simiolus (de Bursa quodam). Cf. Plaut. Pseud. 744, Mil. 505, Most. 886 cet., Ter. Eun. 496, Hor. sat. I, 10, 18 — πίθηκος Ar. Ach. 120, Pac. 1065, fr. 394 K., Phrynich. fr. 20 v. 1 et 3 K. — κέρκωψ Aesch. 2, 40 — vernam ac cerco-pithecon Lucil. 30, 1063.

De infima plebis faece haec dicit Cicero Att. I, 16, 11: quod illa concionalis hirudo aerarii, misera et ieiuna plebecula³⁾; cf. βδελλολάργυξ Cratin. fr. 44 K.

Opprobrium, quod ad homines avaros et cupidos pertinet, est: vulturius, qui quasi signum aviditatis ab antiquis perhibebatur. Haec contumelia a Cicerone Pisoni inuritur Pis. 16, 38: appellatus est hic vulturius illius provinciae, si dis placet, imperator. Cf. M. Aemil. Scaur. O. R. fr. p. 259 M.: nefarius vulturius patriae parricida, infra: vulturius rei publicae. Plaut. Trin. 101, Capt. 844, Mil. 1044, Trucul. 2, 3, 16. Catull. 68, 124; 108, 4. Mart. 6, 62, 4. Sen. ep. 95, 43. Novatian. l. l. p. 233₃: quis accipitrem aut milvum aut aquilam (sc. cibum faciat)? sed odit raptores violento scelere viventes. Quis vulturem? sed exsecratur praedam de aliena morte querentes. Origen. (Rufin) hom. in Lev. 7, 8 (IX p. 311 L.): ego

¹⁾ 30, 73 quoniam te non Aristarchum sed Phalarin grammaticum habemus.

²⁾ Cf. Plaut. Most. 790 sq. et Cic. epist. ad fam. 10, 18, 3: Ventidique mulionis castra despicio (cf. Lucil. 30, 1105: malus ut quartaria' (= mulio mercennarius). Cf. agaso Serv. Aen. 3, 470 — equiso Varro. L. L. 8, 14. 10, 28. Haec subst. praecipue ad negotium inhonestum pertinent. Contra stuporem significat: asellio apud Anonym. praed. haer. 1, 69 (Migne 53, 610), cui opponitur: vulpio Apul. de mag. 86.

³⁾ Cf. Hor. ep. II, 1, 186: nam his plebecula gaudet.

puto et illos in his (aquila, vultur) nominari, qui alienis incubant mortibus et arte quadam vel fraude testamenta subiciunt. huius modi enim homines vultures et aquilae merito appellantur velut mortuorum cadaveribus inhiantes.

Videlicet iam aterrima bili istum Pisonem¹⁾ exercere orator sibi proposuit, si eum etiam hoc cognomine appellavit, quod aptius ad Verrem referri potuerit. Nam Pis. 9, 19 ita dicit: consulem ego tum quaerebam, consulem inquam, non illum quidem, quem in hoc maiali invenire non possem.

Hoc modo quasi viam mihi praemunivi ad ea convicia tractanda, in quibus adhibendis Cicero urbanitatem quandam quaesivit eamque se assecutum esse sine dubio persuasum sibi habuit. Satis idoneam occasionem oratori Verris nomen obtulit. Neque enim difficile est similitudinem, quae inter nomen proprium „Verres“ et *δμῶνυμον* verres (= porcus) intercedit, perspicere. Hunc verborum lusum Cicero plurimis locis iactat.

Div. in Caec. 17, 57: sed repente e vestigio ex homine, tamquam aliquo Circaeo poculo, factus est Verres. Ver. I, 46, 121: alii etiam frigidiores erant, sed, quia stomachabantur, ridiculi videbantur esse, cum Sacerdotem exsecrabantur, qui verrem tam nequam reliquisset. Verr. II, 73, 191: videtis Verrutium? videtis extremam partem nominis, caudam²⁾ illam Verris, tamquam in luto demersam esse in litura? Ver. IV, 24, 53 nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigiis invenimus? Verr. IV, 43, 95: velut in hac re aiebant, in labores Herculis non minus hunc immanissimum Verrena, quam illum aprum Erymanthium referri oportere. — Ceterum etiam apud Plautum Mil. 1059 sq. Palaestrio suo ero praesente paulo acerbius de eo loquitur: nisi huic verri adfertur merces, non hic suo seminie quemquam porcellam impertiturust. Cf. Hor. ep. I, 4, 16: Epicuri de grege porcus.

Restat, ut notum illud ius Verrinum commemorem³⁾. „Ius“ scilicet etiam intinctum (*ἐμβάμμα*) significat. Verr. I, 46, 120: quorum

¹⁾ Etiam Catullus, proinde atque Cicero, haec duo capitalia vitia Pisoni exprobrat: immensam libidinem et sordidam avaritiam: cf. carm. 28 et 47.

²⁾ cauda verrina est additamentum ad nomen „Verres“, quod in „Verrutius“ mutatum est.

³⁾ Priusquam hanc de animalibus particulam absolvero, comparisonem unam, quam Cicero satis apte explicuit, afferam. Vatin. 2, 4 haec legimus: repente enim te, tamquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato colle, tu-

alii, id quod saepe audistis, negabant mirandum esse ius tam nequam esse verrinum (ex ambiguo dictum). Similiter Plautus iocatur, cf. Pseud. 196 sq.: Aeschrodora, tu quae amicos tibi habes lenonum aemulos | Lamios, qui item ut nos iurando, iure male quaerunt rem | audi cet. Poen. 586: hodie iuris coctores non sunt qui lites creant. Epid. 523: legum atque iurum fictor, conditor cluet; cf. Varro de re rust. III, 17, 4: hos pisces nemo cocus in ius vocare audet.

Sed ne quis forte Ciceronem in solo Verris nomine dicacitatem suam profudisse putet, ilico adnotandum est oratorem persaepe verborum lusum exercere, interdum etiam e comicorum consuetudine nominum priorum etymologiis studere, tum quoque mythologicarum personarum nomina et epitheta ad vitia suorum inimicorum designanda adsciscere. Cf. Att. 1, 16, 3 nudi equites tribuni non tam aerati quam, ut appellantur, aerarii. Att. 1, 16, 10 regem appellas quum Rex tui mentionem nullam fecerit. Att. 13, 46, 1 Pollex quidem, ut dixerat ad idus Sextiles, ita mihi Lanuvii pridie Idus praesto fuit, sed plane pollex, non index. Att. 14, 14, 2: ista culpa Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum brutorum. Att. 16, 5, 4 o dies in auspiciis Lepidi lepide descriptos. epist. ad fam. 7, 25, 2 vereor ne in catonium Catoninos. epist. ad fam. 8, 9, 1 Curionem prorsus curionem, cf. Plaut. Aul. 565 — epist. ad fam. 12, 25, 1 Minotauri id est Calvisii et Tauri.

Comice ficta vocabula.

Att. 1, 16, 14 φιλοσοφητέον et istos consulatus flocci facteon. Att. 9, 10, 6 ita sullaturit animus eius et proscripturit¹⁾. epist. ad fam. 3, 1, 2 (ad Appium): puto non invita Minerva esse facturum, quam quidem ego, si forte de tuis sumpsero, non solum Παλλάδα, sed etiam Ἀππιάδα nominabo. epist. ad fam. 3, 7, 5: ullam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus cet. ad Q. fr. 3, 1, 9: immortaliter gaudeo.

Allitteratio et annominatio.

Att. 1, 1, 1 sine fuco ac fallaciis. Att. 1, 16, 5 quos fames magis quam fama commoverat. Att. 4, 18, 2: amisimus omnem sucum et sanguinem civitatis. Att. 7, 9, 4 non legis sed libidinis

midis cervicibus intulisti. Cf. Plaut. Pers. 299: tamquam proserpens bestias bilinguis et scelestus. Poen. 1038: bisulsi lingua quasi proserpens bestia. Aulul. 41: circumspectatrix cum oculis emissiciis.

¹⁾ Cf. Woelfflin, Archiv. I (1884) p. 412.

tuae. ad Q. fr. 1, 3, 3: quem ego ferus ac ferreus cet. *ibid.* 2, 6, 2: mi optime et optatissime frater. de orat. 2, 61, 249 quid hoc Naevio ignavius.

Etymologiae.

Phil. 2, 25, 62: tum existimavit se suo iure cum Hippia vivere et equos vectigales Sergio mimo tradere; cf. Ar. Nubb. arg. 8—10: Φειδιππίδης et Φιλίππίδης. Phil. 3, 6, 16: tuae coniugis bonae feminae, locupletis quidem certe, Bambalio¹⁾ quidam pater, homo nullo numero: nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxit. — Loquitur hoc loco orator de M. Fulvio, Fulviae patre eiusque cognomen videlicet a gr. voc. βομβάλος deducit, cf. Martyrius Gr. lat. K. 7, 167, 12 bambalo: ψελιστής. Phil. 11, 12, 3: lumen et decus illius exercitus paene praeterii, T. Annum Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum [graeco verbo] quoniam omnia iura dissolvit; cf. ea, quae Lysistrata Ar. Lys. v. 1105 de se ipsa profert. Postremam, quam memoravi, Ciceronis consuetudinem haec exempla illustrabunt:

Clodium, erga quam orator semper infesto animo fuit, nominat Medeam²⁾ Cael. 18, Clytaemestram Cael. apud Quint. 8, 6, 53; praeterea βοώπιδος epitheto eam vellicat Att. 2, 9, 1; 12, 2; 14, 1; 22, 5; 23, 3. Cf. Plaut. Cas. 230: mea Iuno. Prorsus alio sensu nominat Cicero Octavianum Iunonium puerum et matris partum aureum ad Oct. 6.

Ioci causa appellatus est Caesar epist. ad fam. 8, 15, 2: Veneri prognatus; libidinis — Verres: homo venerius (saepius). Cf. Plaut. Mil. 1421: Venerium nepotulum. Ironice dicit de Clodio Att. 2, 4, 2: iste sacerdos Bonae deae. De Verre dicit Verr. V, 56, 146: Cyclops alter, multo importunior. Eundem cum Scylla et Charybdi comparat, cf. p. 192.

Antonium denique propter intemperantiam Catamitum nominat³⁾ Phil. 2, 31, 77. Cf. praeterea Att. 7, 1, 9: germanus Lartidius = homo sagax — epist. ad fam. 7, 21: mi Testa (ad Trebatium, qui erat iuris consultus).

¹⁾ Cf. Ψαχός, Ar. Ach. 1150, Bombomachides Plaut. Mil. 1, 1, 14, Βέταλος Aeschin. 1, 126—164; 2, 99. Sonny, Archiv. X (1896) p. 366.

²⁾ Et Palatinam Medeam sec. Curium Fortunatianum in Arte rhetorica p. 92 ed. Capperon.

³⁾ Etiam Cytherium a Cytheri, quae fuit Antonii amasia.

Nunc ad ea maledicta venio, quibus Cicero suorum adversariorum cultum et habitum, corporis vitia, tum vitam moresque exagitat. In corporis vitia et defectus comici poetæ variis modis iocantur¹⁾. Refertae sunt huius generis conviciis Lucilii saturarum reliquiae. Etiam Catullus, in cuius carminibus cottidiani sermonis et simplicitas et lepos mirum in modum coaluerant, nequaquam hanc provinciam respuebat. Nihil mirum, si Cicero quoque in his contumeliis usurpandis animo suo indulsit, quia hoc modo inimici debilitatem et hebetationem — quae vitia plerumque vitam immoderatam sequuntur — plane et aperte ante omnium oculos ponere poterat.

Itaque Pisonem Pis. 14, 32 nominat abiectum hominem ac semivivum, similiter 9, 19 eiectum cadaver, 33, 82 abiectum hoc cadaver. Cf. Plaut. Pers. 283: morticine. Lucil. 2, 51 vix vivo homini ac monogrammo²⁾, 6, 210: si nosti, non magnus homo est, nasutu', macellus, 19, 491: rugosi passique senes. Phrynich. fr. 69 K.: Μουσῶν σκελετός. Sannyrion. fr. 2 K. τὸν ἀπὸ Ἀθηναίου νεκρὸν (de Meleto). Ar. fr. 149, 150 K. ἀδοροῖται (vv. 10 et 16).

Alia eius vitia ita describit Pis. 1, 1: non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt. Cf. Catull. 16, 10 sed his pilosis, qui duros nequeunt movere lumbos. Mart. 2, 36, 5: crura pilis horrida. Lucil. 9, 283 sq. quod deformis senex arthricus ac podagrosus | est, quod mancu' miserque, exilis, ramice magno — 22, 520: insignis varis cruribus et petilis (=tenuis). Ov. ars III, 272: arida nec vinclis crura resolve suis. Catull. 97, 5 nam sine dentibus est: os dentis sesquipedalis... Plaut. Cas. 549 illius hirci improbi edentuli, Men. 864: vetulum, olentem, edentulum. Lucil. 3, 82: bronchus Bovillanus dente adverso eminulo hic est | rhinoceros velut Aethiopus — 17, 472: verrucam, naevum [dictum] dentem eminulum unum | compernem aut varam fuisse Amphitryonis acoetin — cf. ωδός, Ar. Acharn. 715.

¹⁾ Cf. ex. c. capito Plaut. Pers. 60, Cic. nat. deor. 1, 29, 80. Pericles propter capitis sui magnitudinem saepe a comicis Graecis illuditur, cf. ὁ σχινοκέφαλος Ζεύς, Cratin. fr. 71 K. — καρένος (ex Kockii coniectura) Cratin. fr. 111 K. — κεφαληγέρτας Cratin. fr. 240 K. — κεφαλαίος Eupol. fr. 93 K. Eius caput: κεφαλή ἑνδοκίλιος Teleclid. fr. 44 K. Hippocratis filii appellantur προκέφαλοι ab Ar. fr. 112 K. Latinus sermo vulgaris iam ipsa nationis natura propensus erat ad huiusmodi convicia adhibenda, cf. cognomina: Naso, Chilo, Cilo, Dentio, Dorso, Fronto, Glabrio, Grandio, Strabo.

²⁾ monogrammus = macie pertenuis, cf. Lucil. 27, 628.

Oris et alarum foetidus odor saepius ab antiquis notatur. Cf. Pis. 6, 13: ... et cum ore isto foetido taeterrimam nobis popinam inhalasses. Pis. 9, 20 aut conlegae tui contaminatum spiritum. Similiter Verr. III, 9, 23 postremo ut odor Apronii taeterrimus oris et corporis, quem (ut aiunt) ne bestiae quidem ferre possent. Cf. Plaut. Merc. 574 sq. ieiunitatis¹⁾ plenus, anima foetida. Lucil. 11, 363 spurcos ore — et Cic. Att. 2, 1, 1 ubi orator Plautinum versum (Most. 273): „Quia ecastor mulier recte olet, ubi nil olet“ repetit: Tua illa... tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant et, ut mulieres, ideo bene olere quia nihil olebant, videbantur. Ceterum cf. ex. gr. Plaut. Pseud. 716: hircum ab alis (sc. sapit). Catull. 69, 6 valle sub alarum trux habitare caper — 71, 1 Sicui iure bono sacer alarum obstitit hircus, v. 6 illam affligit odore — 37, 5 putare ceteros hircos — cf. Hor. epod. 12, 5; sat. I, 2, 27, ep. I, 5, 29 — ὄζων κακὸν τῶν μισχάλων | πατρὸς τραγασαίου Ar. Ach. 852 sq. — φώκης ὄσμην εἶχεν (de Cleone) Pac. 758.

Pervulgata erat struma Vatini; cf. Vatin. 16, 39 strumae denique ab ore improbo demigraverunt et aliis iam se locis conlocarunt. Cf. Sest. 65, 135, Att. 2, 9, 2 et Catull. 52, 2: sella in curuli struma Nonius sedet.

Quanti apud veteres momenti cultus habitusque corporis fuerit, satis patet e Phil. 13, 2, 4: ora vobis eorum ponite ante oculos et maxime Antoniorum: incessum, aspectum, voltum, spiritum, latera tegentis alios, alios praegredientis amicos. Quem vini anhelitum, quas contumelias fore censetis minasque verborum. Cf. praeterea Pis. 4, 8 (Clodium) hominem impurum ac non modo facie²⁾, sed etiam oculo tuo dignissimum. Phil. 11, 3, 7 furentis introitum Dolabellae, vocem impuram atque os illud infame. Phil. 2, 27, 68 dis penatibus os impurissimum³⁾ ostendere. — Unde os idem atque impudentia significat, cf. Verr. IV, 29, 66: os hominis insignemque impudentiam cognoscite. Pis. 26, 63: os tuum ferreum. Phil. 5, 6, 16 sed illud os, illam impuritatem caeni fuisse, ut hos iudices legere auderet. epist. ad fam. 5, 10a, 2: si mehercules Appii os haberem. epist. ad fam. 9, 8, 1 nosti enim profecto os huius adoles-

¹⁾ Cf. Cic. epist. ad fam. 10, 2, 2: ieiuni hominis.

²⁾ Cf. Att. 1, 13, 2: cavillator genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis quam facetiis ridiculus. Contra Caes. 27: Cesennius non tam auctoritate gravi quam corpore.

³⁾ fauces impurissimae ad Q. fr. 1, 1, 19.

centioris Academiae. Cf. Catull. 42, 17: *ferreo... ore. Plaut. Mil. 189a: os habet, linguam.*

De sexto Catilinae „subsentatorum“ genere haec Cicero narrat Catil. 2, 10, 22: *Postremum autem genus est non solum numero, verum etiam genere ipso atque vita, quod proprium Catilinae est, de eius dilectu, immo vero de complexu eius ac sinu, quos pexo capillo nitidos, aut imberbes aut bene barbatos videtis, manicatis et talaribus tunicis, velis amictos, non togis, quorum omnis industria vitae et vigilandi labor in antelucanis cenis¹⁾ expromitur. — Huc trahi possunt: Plaut. Trucul. 609 *moechum malacum cincinnatum. Asin. 627 cinaede calamistrata. Asin. 858 sq.: minimi mortalem preti | madidum, nihili, incontinentem.**

Alio sensu Catull. 10, 11 „unctius caput“ adhibet, nempe de florentibus cuiusvis rebus²⁾; cf. Cic. Verr. II, 22, 54: *ut ab illis ipse unctior abiret.*

Barbulae suorum aequalium Cicero etiam aliis locis vellicat. Cf. Att. I, 16, 11: *barbatuli iuvenes commissatores coniurationum, Att. 1, 14, 5: concursabant barbatuli iuvenes, totus ille grex Catilinae et Cael. 14, 33, ubi insuper maiorum consuetudinem longas barbas promittendi laudibus effert: si illo austero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis atque imaginibus videmus³⁾. — Nam omnino imberbes et vulsi pueri delicati erant; cf. Catull. 61, 141 sqq.: *diceris male te a tuis | un-**

¹⁾ De crescente in diem luxuria, quae praecipue in cenis splendidis constabat, cf. Liv. 39, 6. Contra eam saepe Cato vociferabatur, cf. O. R. fr. p. 91 sqq. M. Cf. Catull. 47, 5 sq. *vos convivia lauta sumptuose | de die facitis. Ter. Ad. 965 adparere de die convivium. Hor. sat. II, 8, 3 de medio potare die; cf. gr. ἀφ' ἡμέρας; πίνων et Laet. de mort. persecut. c. 18: illumne saltatorem temulentum, ebriosum, cui nox pro die, et dies pro nocte. Cicero saepe lacescit eos, qui nimis genio suo indulgent, cf. Pis. 6, 13: *in illo ganeorum tuarum nidore atque fumo. Non aliter in Plant. Most. v. 5 Grumio Tranionem alloquitur: exi, inquam, nidor, e culina. Cf. Cato O. R. fr. p. 70 M.: effeminatis, qui magiras facerent. Hor. sat. II, 7, 69: popino — Novatian, l. l. pag. 238: videas ergo tales novo genere adhuc ieiunos et iam ebrios non ad popinam currentes sed popinam secum circumferentes. Itaque C. Sempr. Gracch. O. R. fr. p. 231 M. honori sibi tribuit haec: *versatus sum in provincia; nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie stabant.***

²⁾ Cf. Catull. 29, 22: *uncta patrimonia.*

³⁾ Huic loco non refragatur alius Verr. II, 25, 62, ubi de miseris Siciliensibus Cic. loquitur, qui „sordidati, maxima barba et capillo“ Romam advenerunt.

guentate glabris marite | abstinere et Plaut. Aul. 402 quam volsus ludiust; etiam Lucil. 30, 977: imberbi androgyni, barbati moechocinaedi (ἀπροσδόκητον!). Si tamen ipse Plautus „hirquinam barbam“ (Pseud. 950) irridet, sine dubio hoc e Graecorum comicorum more facit; itaque recte Lorenzius adnotat in Graeco exemplari fortasse voc. σφηνοπάγων (cf. Poll. IV, 143 sqq.) existitisse; cf. Ar. Rann. 966: σαλπυγγολογυπηνάδαι, Platon. fr. 142 K.: τὸν ὑπηρόβιον.

Ex illo Ciceronis loco, quem supra citavi, perspicimus oratorem, quippe qui etiam in rebus vestiariis laudator temporis acti existiterit¹⁾, manuleatas tunicas dedecori esse existimare. Prisci enim Romani toga sola amicti fuerunt. Simili modo Plautus (cf. Poen. 1298 et 1303, Pseud. 717 sqq.) tunicas longas et demissicias tantummodo mulieris aut viri effeminati proprium amictum esse censuit. Etiam Martialis multa verba facit de „molestis“ tunicis, cf. X, 6, 7; 25, 5; 81, 4. XI, 70, 5. XIV, 143 — tunicata quies X, 51, 6. Cf. Lucil. 1, 34 praetextae ac tunicae, Lydorum opu' sordidulum omne. — In extremo hoc capite iuvabit haec verba P. Cornelii Scipionis Aemil. adnotare (O. R. fr. p. 181 M.): Nam qui cotidie unguentatus adversum speculum ornatur, cuius supercilia radantur, qui barba vulsa feminibusque subvulsis ambulet, qui in conviviiis adolescentulus cum amatore, cum chirodota tunica interior accubuerit, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit: eumne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinaedi facere solent?

Nonnulla negotia Ciceroni despectui fuerunt; cf. Att. 6, 1, 15 Turpionem sutorium et Vettium mancipem. Servos omnes antiqui scriptores contemnunt. De convicio „servus“, similibus iam supra locuti sumus. Quoniam „barbari“ aequae contemnebantur, adiectivum „barbarus“ saepe a Cicerone cum synonymo „inhumanus“ coniungi haud mireris: ex. c. Att. 11, 2 — cf. Plaut. Bacch. 121. Ad Q. fr. 1, 1, 19 legimus: nisi forte me Paconii nescio cuius, hominis ne Graeci quidem ac Mysi aut Phrygii potius quaerelis... Cf. Mysorum ultimus Flacc. 65, Μυσῶν ἔσχατος Magnet. fr. 5 K. — phrygio Plaut. Men. 426, 469, 563, 623, 681; Aul. 508 — babylo Ter. Ad. 915 et ea, quae ad voc. ambro, pytho adnotaverunt R. Fisch l. l.

¹⁾ Cf. praeclara illa Catonis verba O. R. fr. p. 146 M.: Neque mihi aedificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est manupretiosum, neque pretiosus servus, neque ancilla. Si quid est, quod utar, utor; si non est, egeo. Suum cuique per me uti atque frui licet. Vitio vertunt, quia multa egeo, at ego illis, quia nequeunt egere.

p. 61, 83 et Sonny, Archiv. X (1896) p. 366 (qui ambro a ἀβρός deducit).

Sardi venales epist. ad fam. 7, 24, 2. Opifices omnes secundum Ciceronem in sordida arte versantur (off. 1, 150), cf. Att. 7, 2, 8: nam de altero illo minus sum admiratus, operario homine.

Alia negotia:

Att. 2, 1, 12 neque te in tocullionibus habebam — cf. Lucil. 15, 435: sacer ille tocoglyfos. Ar. Equitt. 248: τελώνης. De voc. „gladiator“, „aleator“ cf. pagg. 197 et 193, not. Hic addo Catil. 2, 23: in his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur.

Mores hominum pravos Cicero permultis adiectivis consecratur, quorum apud eum immensa est copia. Quoniam igitur dissertationcula haec nimis crevisset, si accuratius rem tractare in animum induxissem, tantum quod necessarium mihi visum est, attuli.

Agmen ducunt homines perditī, profigati, scelerati, impīi, alii. Non a re erat admonere superlativa¹⁾ hic pleno, ut ita dicam, flumine ferri.

perditus²⁾, cf. Catil. I, 13; 23; 25; 27. II, 8; 11; 29. III, 15. IV, 5; 8; 22. Vatin. 21; 40. Phil. I, 5. II, 7; 91. III, 1; 25. V, 13; 29; 32. XI, 9. Verr. I, 15; 20; 21; 28. III, 5; 65; 127; 134. Att. I, 16, 9. VII, 3, 5; VII, 7, 6; VII, 13a, 1. VIII, 2, 3. IX, 19, 1. X, 8, 6; X, 12b, 1. XIV, 11, 1; XIV, 13, 2; XIV, 17, 3. epist. ad fam. I, 9, 11; I, 9, 21. X, 18, 3; X, 21, 1; X, 21, 5; X, 23, 6; X, 27, 1. XII, 2, 1; XII, 14, 3. ad Brut. II, 2, 3; II, 5, 2; II, 5, 5 — cf. ex. c. Plant. Pseud. 147: neclegentes, perditī, ingenio improbo.

profigatus, cf. Verr. I, 76. III, 65; 127. Phil. III, 1. ad Brut. I, 17, 4

naufragus, cf. Catil. II, 24. Phil. XIII, 3 (naufragia)

desperatus Catil. II, 10. II, 5: conlectam ex senibus despe-

¹⁾ Cf. Demosthenis Midianam.

²⁾ Nonnunquam coniungitur cum voc. „egens“, cf. Att. 10, 8, 6; ad Brut. 2, 5, 5. Talem hominem describit Lucil. 6, 203: cui neque iumentum est nec servus nec comes ullus est. Cf. Catull. 23, 1 sqq.: Furi, cui neque servus est neque arca | nec cimex neque araneus neque ignis. Homines perditī, improbi opponuntur semper „bonis“, καλοῖς καγαθοῖς, de qua re cf. Thadd. Sinko: De Romanorum viro bono, Cracov. 1903.

ratis, ex agresti luxuria, ex rusticis decoctoribus ¹⁾. Cf. Catull. 41, 4: decoctoris amica Formiani. Fusius de talibus hominibus Att. I, 14, 6: ille alter uno vitio minus vitiosus, quod iners, quod somni plenus, quod imperitus, quod ἀπραχτότατος, sed voluntate ita καχέκτης. De pet. cons 28: ut homo nequam, iners, sine officio, sine ingenio, cum infamia...

audax, cf. Verr. I, 17. IV, 111. Catil. II, 10; 13. Phil. I, 5. II, 43. III, 141. V, 13. VI, 2. VIII, 16; 21. Att. III, 8, 1. VII, 3, 5. ad Q. fr. II, 4, 1 — cf. C. Licin. Macer O. R. fr. p. 477 M: hominem nostrae civitatis audacissimum, de factione divitem, sordidum, maledicum accusabo (sc. Vatinius)

petulans Att. II, 4; II, 15 — cf. Plant. Amph. 366, 985. Asin. 312, 521. Aul. 745. Pseud. 275. Epid. 149.

sceleratus Verr. II, 117. Catil. I, 23. III, 16. Pis. 74; 90. Phil. I, 5. II, 9; 85. III, 9. IV, 12. V, 6. IX, 15. X, 7. XI, 16. XIII, 1; 23. Att. IX, 15, 5. X, 4, 1. XI, 16, 5. epist. ad fam. I, 4, 2. X, 21, 6. XI, 13a, 5. XII, 14, 6; XII, 15, 7. ad Brut. I, 2, 2; I, 10, 2; I, 15, 10 — cf. Plaut. Epid. 369, Pers. 275 — scelerosus Lucil. 1, 25.

scelestus Phil. VI, 11 — cf. Plant. Amph. 348, 561. Poen. 382. Pers. 751. Mil. 366. Asin. 424. Aul. 419. Catull. 8, 15; 15, 15. Scelestus apud Plautum saepe infelicem hominem designat (cf. Lorenz. com. ad Most. 352). Haec significatio inde exstitit, quod talis homo dis hominibusque invisus esse habebatur, cf. Cic. Phil. II, 65. VIII, 10. Plaut. Mil. 313 — θεός ἐχθρός, Ar. Ach. 934, Nubb. 581, Lys. 397 cet — saepissime apud oratores Graecos.

impius Verr. I, 47. Phil. II, 2; 65. III, 9. VI, 17. VIII, 16. XI, 6; 16. XII, 15. XIII, 1. XIV, 15; 32. epist. ad fam. X, 6, 3. ad Brut. I, 10, 4; I, 15, 5 — cf. Plaut. Pseud. 957. Lact. de mort. persecut. c. 3, 5, 23, 28, 29.

improbus Verr. I, 23; 48; 77. II, 91. Catil. I, 32. III, 6. Vatin. 19; 34; 36. Phil. VII, 5. Att. I, 13, 3; 14, 1; 16, 7; 19, 7; 19, 8; 20, 2. II, 6, 1; 19, 4; 21, 3. VI, 4, 1. VII, 2, 8; 17, 4; 23, 1. VIII, 11 D, 7. IX, 1, 3; 15, 5. X, 1, 4; 8 A, 1. XIV, 14, 1. XVI, 15, 1. epist. ad fam. I, 9, 11; 9, 14. V, 2, 7. X, 21, 4.

¹⁾ Cf. Scip. Afr. Aem. O. R. fr. p. 184 M.: sed tu plus tertia parte pecuniae paternae perdidisti atque absumpsisti in flagitiis; cf. Sen. dial. 12, 14, 2: quae patrimonium... exhauriunt. Novatian. l. l. p. 234, exedens patrimonium cum pudore.

XI, 28, 5. XII, 5, 3; 15, 3. XIV, 1, 2. XVI, 11, 3; 12, 2. ad Q. fr. I, 1, 7; 1, 12; 1, 41; 4, 1. II, 3, 4. de pet. cons. 12. ad Brut. I, 10, 2; 11, 1; 16, 11. II, 2, 3 — cf. Plaut. Amph. 571, Aul. 53, Bacch. 552, Cas. 119, Pseud. 178, 597, 1208, Mil. 802, Rud. 662, Epid. 566. Catull. 57, 1 sq. Lucil. X, 334. XI, 340; 350. XXIX, 753.

nequam Verr. I, 83; 144. III, 30; 84. Cael. 10. Phil. II, 61; 67; 70; 77; 78. Att. I, 12, 2; 16, 3; 16, 6; 19, 5. IV, 13, 2. VI, 1, 25; 2, 2. X, 18, 1. XII, 38, 1. XV, 13, 3. XVI, 14, 2 — cf. Lucil. X, 334. XXX, 1083; 1105.

praeterea: parvi enim preti est, qui nihili¹⁾ est ad Q. fr. I, 2, 14 — Plaut. Cas. 98, Curc. 167: haud magni preti — non semmissis homo Cic. epist. ad fam. V, 10a, 1. Lucil. IX, 294: nummi opus atque assis. Cic. Phil. III, 16 homo nullo numero.

malus²⁾, cf. Att. I, 16, 7. VI, 2, 8. X, 1, 4. ad Oct. 8. Lucil. X, 334 — saepe Plautus. — malevolus Cic. epist. ad fam. V, 9, 1, cf. bovinator (= malitiosus) Lucil XI, 350.

Homines mobiles et ventosi nominantur: leves (levissimi), cf. Att. I, 14, 1; 16, 6. VI, 3, 1. epist. ad fam. I, 56, 2. III, 10, 7. ad Q. fr. I, 2, 4. ad Brut. I, 15, 9. Ventosissimus epist. ad fam. XI, 9, 1.

Nunc aliquot maledicta afferam, quae ingenii stuporem et stultitiam designant.

Saepe Cicero adversarium suum compellat epitheto: amentissime, cf. Verr. I, 7; 48; 158. III, 40; 126. IV, 18. V, 11; 47. Phil. II, 42. V, 37. XI, 9. Att. VII, 10, 1; 17, 2 — amens Att. VII, 11, 1. epist. ad fam. XII, 2, 1. XIV, 14, 1 — insolentissimus epist. ad fam. VIII, 12, 3 — fatuus³⁾ Att. VI, 6, 3 — insanus Att. IV, 6, 2; cf. Lucil. XV, 428: insanus homo et cerebrosus, Plaut. Men. 517, 819 homo insanissime; cf. Cic. Verr. I, 102 homo stultissime et amentissime, Phil. II, 29 omnium stultissime et Plaut. Merc. 211: stultissime, Amph. 907 nisi stultior stultissimo.

Similia sunt: Verr. V, 121 quis tam fuit illo tempore ferreus, quis tam inhumanus. Catil. IV, 3 nec tam ego sum ille ferreus, cf.

¹⁾ Cf. Att. I, 19, 4.

²⁾ Cf. Naev. apud Paul. 29 pessimorum pessime — κακῶν κείνους persaepe apud Aristophanem.

³⁾ ineptus ad Q. fr. III, 8, 4. Att. II, 20, 6. IV, 15, 6 — scopae solutae (de L. Caesare) Att. VII, 13b, 2.

Catil. IV, 12. Att. XIII, 30, 1. epist. ad fam. XV, 21, 3 et gr. voc. σιδήρεος ex. c. Hom. Il. 24, 521: σιδήρεόν νό τοι ἦτορ.

importunus Verr. I, 113. Catil. IV, 12. epist. ad fam. V, 3, 1. IX, 21, 3. XII, 12, 2 — cf. Plaut. Merc. 44 leno importunus, Asin. 62 fateor eam esse importunam et incommodam.

Rusticum Cicero neminem appellat¹⁾, quia ipse semper agriculturam summis laudibus effert (cf. Cato c. 15, 51 sqq.; off. I, §. 151). Aliter Plautus: cf. Pers. 169: pro barda et pro rustica, Trucul. 246, 253: agrestis, unde ortus est titulus fabulae „Agroecus“; Catull. 36, 19: pleni ruris et inficetiarum — rusticus Lucil. 1086; Hor. ep. I, 2, 42. II, 2, 39 — ἀγροῖκος Ehipp. fr. 23 K., Lucian, Dial. mar. 20, 3. 7, 14 cet.

Iam in eo sum, ut hanc disputatiunculam ad umbilicum adducam. Restat, ut in eiusdem calce aliquid de iis opprobriis dicam, quae Ciceroni morum depravatio obtulit. Orator enim, quod quidem ad mores pertinet, re vera per totam suam vitam anima candida fuit omnesque sordes et impuritas aversabatur. Propter id ipsum eo impensius in eos invehebatur, qui his vitiis cooperti erant. Itaque detegit praecipue illas sordes adolescentiae²⁾ et libidinosae ac delicatae iuventutis (Att. I, 19, 8), quibus Piso, Vatinius, Antonius insignes erant, cf. Vatin. 10; 11; 13. Ex. c. Vatin. 11 legimus: atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere? § 13: sed ex tuis tenebris extraham... cf. Plaut. Trin. 239 latebricularum hominum corruptor.

Antonium nominat hominem impotentissimum atque intemperantissimum epist. ad fam. X, 1. De Clodio dicit de pet. cons. 9: educatus in sororis stupris. De Clodia Cael. 49: ut non solum meretrix, sed etiam proterva meretrix procaxque videatur. Etiam Clytaemestram quadrantariam vocat et in triclinio coam in cubiculo nolam Cael. apud Quint. 8, 6, 53; cf. Cael. 26, 62.

Similia de Verre accipimus Verr. IV, 71: in istius lenonis turpissimi domo. Hanc contumeliam Cicero sine dubio ex Plauto petivit, cf. Rud. 653, quo loco Trachalio, postquam in praecedentibus versibus lenonis impuram vitam moresque descripsit, ita concludit: uno verbo absolvam, lenost: quid illum porro praedicem. Cf. Pseud. 354.

¹⁾ Cf. tamen rusticus et agrestis Phil. 10, 22.

²⁾ Cf. Sempr. Gracch. O. R. fr. p. 247 M. pueritia tua adolescentiae tuae inhonestamentum fuit, adolescentia senectuti dedecoramentum, senectus reipublicae flagitium.

Iam videmus Ciceronem valde admiratum esse Plauti sagacitatem eiusque ingenii acumen, quod comicus poeta optime ostenderit in personis lenonum fingendis: Cappadocis (in *Curcul.*), Lyci (in *Poen.*), Dordali (in *Persa*) — praecipue Ballionis (in *Pseud.*). Cf. *Cic. Phil.* II, 6, 15. Qua de re scripsit Lorenzius in proem. *Pseud.* p. 18, not. 16.

Ad libidinem notandam Cicero nonnunquam etiam deminutiva usurpat: cf. ex. gr. muliercula¹⁾ *Verr.* III, 31; 78. V, 63; 86; 100. Similiter Plautus *Truc.* 309: meretriculis, *Poen.* 1286: lenunculum.

Illum Clodium imberbem et effeminatum nominat *Cic. Att.* I, 16, 10 pulchellum puerum. *Att.* II, 1, 4; 18, 3; 22, 1 Pulchellum — cf. *Catull.* 79, 1: Lesbius est pulcher. Non aliter L. Sempr. Atratinus Coelium pulchellum Iasonem appellavit (*O. R. fr.* p. 485 M.). Voc. moechus occurrit *epist. ad fam.* VIII, 7, 2 — perductor *Verr.* I, 12, 33; cf. *Plaut. Most.* 845.

Nunc ad adiectiva nosmet convertamus necesse est, quibus orator, ut diximus, maxime abundat. Etiam atque etiam usque ad nauseam repetuntur: taeter (taeterrimus), impurus, turpis, foedus, impudicus cet.

taeter, cf. *Phil.* XI, 1; 12. XIII, 2. *Att.* IX, 9, 2. X, 12a, 1. XVI, 11, 6. *epist. ad fam.* X, 14, 2; 19, 2. *ad Q. fr.* II, 11, 2. *ad Brutt.* II, 4, 3. Cf. *Plaut. Most.* 593.

turpis, cf. *Att.* III, 15, 4. VII, 21, 3. VIII, 3, 3. IX, 9, 3; 12, 2. X, 8, 2; 8, 4; 12a, 1; 16, 3. XV, 3, 1; 27, 3. *epist. ad fam.* XII, 4, 1. *de pet. cons.* 8. *Att.* XV, 10, 1 legimus: quid turpius? quid foedius? quod munus in republica sordidius? cf. *Att.* VIII, 3, 3: quid foedius? *Att.* XVI, 1, 1 quidquamne turpius? *Att.* IX, 10, 3 quid eorum victoria crudelius, quid funestius? *Att.* IX, 14, 2: ecquid acerbius, ecquid crudelius? *Att.* VIII, 2, 3: hoc miserius, hoc turpius quidquam? — tum: *Att.* XVI, 7, 5: hoc vero nihil turpius; cf. *Att.* II, 19, 4. VIII, 2, 2. *ad Q. fr.* III, 1, 24. *Att.* VII, 2, 8 quo nihil mihi visum est sceleratius. *Att.* VII, 11, 3 tum nihil absurdius. *Att.* VII, 13a, 2 nihil esse timidius

¹⁾ Alia deminutiva, quae contemptum exprimunt, sunt: homullus *Pis.* 59 — homunculi *epist. ad fam.* IV, 5, 4, cf. *Q. Caecil. Metellus O. R. fr.* p. 274 M.; *Plaut. Capt.* 51, *Rud.* 1545 — ἀνδράκιον *Ar. Ach.* 517.

Vetulam sane et multarum nuptiarum *Cic. epist. ad fam.* XIII, 29, 1 (cf. mi vetule *epist. ad fam.* VII, 16, 1 sed in bonam partem) — cf. *Lucil.* VII, 234 sq. vetulam atque virosam | uxorem. et *Plaut. Most.* 269.

constat, nihil perturbatus, cf. Att. I, 14, 5; 18, 4. V, 1, 4; 21, 12. VI, 3, 2; 7, 2. VII, 2, 8. VIII, 11, 4. X, 13, 1. XII, 11, 1. epist. ad fam. XII, 4, 1. ad Q. fr. III, 4, 1; 9, 1 —


foedus Att. VII, 26, 3. VIII, 9, 3. X, 4, 8 —


impurus Verr. I, 69. III, 75; 140; 161. Phil. I, 5. II, 58. III, 12; 15. Att. IX, 15, 5. XII, 38, 2. XIII, 38, 1. epist. ad fam. XII, 1, 1. ad Brut. I, 15, 4 — cf. Plaut. Asin. 472, Men. 853, Bacch. 884, Pseud. 354, Pers. 687, Cure. 128, Rud. 751. Lucil. XXVI, 597 — impuratus Lucil. II, 59; 63, saepe apud Plautum — ἀκάθαρτος οὗτος Dem. f. leg. 199. De Verre legimus Verr. II, 78, 192: At homo inertior, ignavior, magis vir inter mulieres, impura inter viros muliercula. Simili modo C. Scribonius Curio (sec. Suet. Caes. c. 49 — cf. O. R. fr. p. 353 M.) Caesarem „quadam oratione omnium mulierum virum et omnium virorum mulierem appellat“. Cf. Pherecrat. fr. 155 K.: οὐκ ὦν ἀνὴρ γὰρ Ἀλκιβιάδης, ὡς δοκεῖ, | ἀνὴρ ἀπασῶν γυναικῶν ἐστι νῦν. Aesch. Tim. 111: πρότερον δ' ἦν καὶ αὐτὸς Λεωδάμαντος γυνή· ἢ δὲ γυνή Τιμαρχος οὐτοσί. His addo Suetonii verba (Caes. c. 49 — cf. O. R. fr. p. 380 M.): praetereo actiones Dolabellae, in quibus eum (sc. Caes.) Dolabella pellicem reginae, spondam interiorem regiae lecticae et Curio stabulum¹⁾ Nicomedis et Bithynicum fornicem dicunt.

impudens, cf. Phil. II, 40; 99. VII, 3. Att. II, 1, 8. V, 21, 12. VII, 2, 6; 6, 2; 9, 4; 17, 2. XVI, 2, 1. epist. ad fam. XI, 21, 3. XII, 30, 1. XVI, 11, 2. ad Brut. I, 18, 5 — cf. Plaut. Amph. 818, Mil. 1402, Cas. 97, Men. 710, Pers. 40, 827 — impudicus, cf. Phil. III, 12. ad Oct. 10. Plaut. Asin. 475, Pseud. 348, Rud. 115.


In his acquiescam. Ex omnibus exemplis, quae mihi praesto fuerunt, commode concluditur Ciceronem multa e sermone vulgari hausisse convicia et maledicta. E rhetorum ampullis addidit solum tumorem, cuius rationem et naturam in prooemio huius disputatiunculae explicabamus.

¹⁾ Cf. stabulum flagitii Plaut. Trucal. 587.




















044 004 609 343





3 2044 004 609 343

